Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1844784568/phys_0003
DFG

Ph. f — 402.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1844784568/phys_0004
DFG

K. f. ~~402~~ 1.2
402.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1844784568/phys_0006
DFG

HISTORIA

PANDECTARVM AVTHENTICA

SIVE

D. IVSTINIANI IMP.

DE

PANDECTIS

EPISTOLAE III.

VNA CVM

INDICE IVRISCONSVLTORVM FLORENTINO

EX

EMENDATIONE

LAVR. THEOD. IO. FR. F. GRONOVII

NOVAQVE OPERA

FRANCISCI CAROLI CONRADI

D. ET P. P. IN ACADEM. VITEMBERG.



HALAE

EX OFFICINA CRVGIANA

M DCC XXX.

Ex Libris
Ferd. Kæmmerer.

Ex Bibliotheca Academiæ Rostochiensis



LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

FRANCISCVS CAROLVS CONRADI.

Haudquaquam, ut solent, negligendæ, sed quantivis pretii faciendæ, neque oscitanter aut perfunctorie, sed cum cura et attentione animi perlustrandæ ac relegendæ gnavo Romani Iuris cultori sunt, quibus Iuris a se compositi et enucleati non solum auctoritatem firmavit, verum et omnem eius historiam fidelissime retulit Imperator IVSTINIANVS, illæ ante Institutionum, Pandectarum et novi Codicis libros, Præfationum loco, positæ Constitutiones. In his vero principatum obtinent Orationes de conceptione et de confirmatione Digestorum, nec non de ratione docendi Iuris, sive DE PANDECTIS EPISTOLAE D. IVSTINIANI III. quarum primam ad splendidissimum totius operis architectum, TRIBONIANVM, alteram ad illustres et facundissimos Antecessores, tertiam ad magnum Senatum et omnes Imperii sui populos dedit: in quibus omne Iuris veteris enucle-

andi consilium institutumque, ordinationem æterni operis, ministros, horumque et officium et potestatem, successum denique et felicem tam vasti laboris exitum non minus diserte, quam sincere, descripsit sacratissimus Princeps, et auctoritate Augusta manifestavit.

Habent enimvero hæ Constitutiones finem propositum non unum, atque cum in legum, tum in historiæ iuxta comparatæ sunt usum. Ac legis quidem vim præstant: quoniam *prima*, quæ *magnum et nobile mandatum colligendarum Pandectarum* dicitur FRANC. BALDVINO, *in Iustiniano*, *lib. II*, conceptionem Digestorum, et Iurisprudentiam ex libris veterum Auctorum illis duobus millibus unum in volumen colligendam, huius negotii totius magistro atque rectori, Triboniano, mandat, et modum normamque compositionis præscribit: *altera* vero docendi Iuris a Iustiniano collecti methodum, progressumque per quinquennale curriculum definit, et nocivam leges profitendi licentiam compescit: *tertia* feliciter absolutum opus probat et confirmat, eique, enumeratis sacri illius septenarii partibus ac membris, et quæ singulis Pandectarum libris, qua serie, qua ordinis ratione, quo nexu comprehendantur, diligen-

genter expositis, atque tanti operis auctoribus collaudatis, plenum iuris et legum vigorem accommodat, adiectis de usu Digestorum ac de interpretandi commentandique facultate, et de ratione describendi hos libros, sanctionibus et prohibitionibus. Quapropter etiam factum est, ut providentissimus Imperator, minime contentus hasce Epistolas, prooemii ad instar, ante Digestorum libros collocari, duas ex illis præcipuas, de conceptione et de confirmatione Pandectarum, inter leges in Codice repetitæ prælectionis sub rubrica de Veteri Iure enucleando extare insuper iusserit. Neque enim assentior Viro Amplissimo, HENR. BRENCMANNO, istas Constitutiones ex post facto privata solum auctoritate, ex titulo *Cod. de Vet. Iur. Enucl.* descriptas, et Pandectarum volumini adiectas, non Iustiniani voluntate præfixas, existimanti: quin potius doctissimi Gronovii tam rectum, quam facundum iudicium amplector, *vestibulum*, scribentis, *in quo leges dedicationis et formulam vel intrandi templi vel administrationis sacrorum suspensam cernimus, non minus Maximi Pontificis nostri opus esse, quam ipsum templum:* hoc est, ex mandato Iustiniani has ante Digestorum libros collocatas extare Imperialium Edictorum formas,

sive, ut alibi inquit, *vix credendum est, in principio sacrati huius voluminis quidquam legi, quod non ab ipso Augusto provenerit et ex eius mandato adpositum.* Eccur autem de præloquio Institutionum, seu potius harum confirmatrice Constitutione, quæ primis legitimæ scientiæ totius elementis idem, quod Epistolæ hæ Pandectarum operi, præstat, nemo adhuc dubium fecit, eam ibi in limine conspici legique iussu et auctoritate Cæsaris? Illa nimirum exulat ab Imperiali Codice, in quem nostræ Constitutiones relatæ visuntur, tanquam, quod non esset futurum, si Digestis præpositæ fuissent auspicio Iustiniani. At salva res est: si quidem nec omnes tres Constitutiones sub titulo *de Vet. Iur. Enucl.* ponuntur, sed omissa est illa de methodo docendi Iuris ad Antecessores; tum vero diversa est ratio, cur duæ reliquæ utroque reperiantur loco. Et in Codice sat manifestum indicium præbet rubrica *de Veteri Iure enucleando et de auctoritate Iurisprudentium, qui in Digestis referuntur*, sub qua medios inter Codicis Iustiniani titulos, qui de speciebus diversis Iuris, *de Legibus et Constitutionibus*, *Edictis et Mandatis Principum, Senatusconsultis, Rescriptis et Pragmaticis sanctionibus* concepti sunt, leguntur ambæ de conceptione et de confirmatione Di-

ge-

gestorum Constitutiones, tanquam de auctoritate iurisprudentum, in iure veteri enucleando ipsis statuta et per Digestorum opus confirmata, decernentes, atque abrogantes Constitutionem *Legis un. Cod. Theodos. de Responsis Prudentum.* Sed vero alio fine, aliaque de causa iisdem ante Pandectas datus est locus: scilicet, uti tam de componendi huius voluminis consilio institutoque et ceteris, quæ de tantæ molis tantæque sapientiæ et laboris tanti opere, *in maximam et æternam rei memoriam, suique imperii et* præstiti a Triboniano cum sociis *ministerii gloriam*, scire nos voluit Iustinianus, illæ posteritatem edocerent, quam ut ii, qui ad tractandos utendosque Digestorum libros accedunt, de legitimo eorum usu instruerentur, hi vero, qui describendum et literis exarandum sibi hoc volumen sumerent, librarii de forma scripturæ per consequentias literarum sub falsi poena observandæ admonerentur, quin et ipsi emtores voluminis Pandectarum redderentur cautiores: denique ut tam docentes intra legales doctrinæ metas, in his libris interpretandis tradendisque, continerentur, quam discentes methodum et ordinem, quo sibi stadium civilis prudentiæ decurrendum sit, in ipso limine præfinitum, ante

oculos haberent. Hæ profecto cauſæ ſunt graves, quas ſi neglexiſſet Imperator, neque monitorias, ſimulque poenales, has ſanctiones in fronte divini operis collocaſſet, foret, in quo vel providentiam vel iuſtitiam legislatoris cummaxime deſideraremus.

Atque utinam in deſcribendis Pandectarum libris ſanctius Imperatori præſtitiſſet obſequium, neque ad ſuam per compendia verborum et ſiglarum numerorumque ænigmata ſcribendi laſciviam obſtinate rediiſſet imprudens et temerarium librariorum vulgus. Vtinam vero incontaminatam, neque ab his ſcribarum malitiis adfectam laborantemque, ſed ex mente et voluntate, ſi non auſpicio, Cæſaris exaratam Pandectarum membranam fata nobis invidiſſent, aut ſaltem nævi iſti parcius infeſtaſſent venerabilem virginem Florentinam, a cuius foliis et oraculis omnis antiquæ ſcripturæ et genuinæ lectionis cenſura iudiciumque hodie pendet. At gratias benignæ et ſapienti Numinis Diuini prouidentiæ, quæ magnificum hoc omnium pæne gentium luris luſtitiæque templum nec immanes barbarorum impetus, non ferrum, non ignes, nec edacem temporum truculentiam, nec quidquid animatarum exanimarumque rerum ei inimicum et fatale eſſe poterat, evertere

aut

aut destruere permisit: verum illud mirabili fato in præsentissimo excidii periculo servavit, eoque servato, et in temporum faustam reparationem iterum patefacto, ruentes in barbariem populos resque sæculi saluberrime stitit ac reparavit. Nunc istæ, quæ inæstimabile Florentini Codicis depositum incesserunt iniuriæ et corruptelæ qualescunque tanto fortius exacuunt animos sensusque nostros, atque stimulant ingenia, ad perscrutandos melioris Jurisprudentiæ thesauros excolendasque indefesso studio egregias literas, et reprimendam, quæ semper lacertos movet, et signa convellit, et pertinaci nisu reverti conatur, barbariem.

Quamvis autem secta nostrorum temporum non patiatur nos esse tam obtusi pectoris, aut tam superstitiosæ mentis, ut Iustinianum, tanquam Cæsarem et legislatorem nostrum, eiusque legislationem, tanquam ius nobis in imperio Orbis terrarum a Domino mundi constitutum hodie revereamur: et quamvis nec has ipsas de Pandectis Constitutiones, tanquam iura nobis scripta et sub minis pœnarum posita reformidemus: est tamen, quod Iurisprudentiæ refert, ut rationem modumque libris Digestorum utendi, et scripturam eorum custodiendi curam ab Imperatore præ-

ceptam, ceu prudens & neceſſarium conſilium ſuſpiciamus, quod, niſi deſipere velimus, negligere nobis non licet. Et, quod non minus Iurisprudentiæ intereſt, reſtat nobis alter, isque perinſignis & commodus harum Conſtitutionum uſus in Iuris a Iuſtiniano compoſiti atque ſigillatim Pandectarum hiſtoria, ipſius conditoris fide atque teſtimonio pernoſcenda: ac longe plurimum debemus Imperatori, quod multa nobis alias incognita, certe minus perſpecta futura, in iſtis complecti nosque plenius edocere voluerit.

Quare pulcherrimam merito tulit laudem nobilis induſtria præſtantiſſimi LAVRENTII THEODORI GRONOVII, magno patre, IOANNE FRIDERICO, digniſſimi filii: qui, poſtquam integra pæne hieme in Tuſcis aureorum iſtorum voluminum theſauris, benigna Sereniſſimi Magni Ducis liberalitate, conciliante ANTONIO MAGLIABECHIO, ſibi recluſis, totus habitaverat, in Belgium reverſus quinquennio poſt, anno MDCLXXXV. curas ſuas atque emendationes luculentiſſimas in has ipſas Conſtitutiones & Indicem Iuriſconſultorum, eisdem contiguum, vaſtioris operis, ex collatione Florentini exemplaris ad Taurellianos libros, publicandi ſpecimen vulgavit: quod

quod quo majori plausu exceptum fuit ab Eruditis, & quo vehementiorem ipsius Pandectarum operis expectationem iniecit, eo acerbius sui desiderium Vir, omnium quidem votis longiore vita donandus, post se reliquit: ut merito gratulemur nobis, conspicuam adeo messis ampliſſimæ spem & primitias non oppressisse fata ipsius præmatura.

Enimvero tot tantique scripturæ errores, tot intempestivæ manuum petulantium emendationes profanarunt hæc sacra Digestorum vestibula, ut in iis multa, *velut ab auctore plane & a cogitante atque generante potius, quam a librario & exceptore inducta, expuncta ac superscripta*, profiteri necesse habuerit ANG. POLITIANVS, *Miscellan. C. LXI.* & *inter loca corruptissima ac plurifaria correctione inquinata vel maxime* has Constitutiones, *uti perquam mendose scriptas, sic a variis pessime acceptas*, connumerandas iudicet Ampliſſimus Senator, a quo nunc perfectam Medicei Codicis editionem impatienter præstolamur, HENR. BRENCMANNVS.

Opem & medelam hæc vulnera poscebant ab editoribus, certe iis, qui Tusci libri profiterentur, & in fronte Digestorum ab se publicatorum inscriberent, fidem: sed incassum: quin multa potius eorum solertiam fefellerunt neglecta; quædam ipso restituendi modo evaserunt corruptiora.

GRE-

GREGORIVS HALOANDER, cuius nimiam in mutando & interpolando audaciam, ab aliis recedendi lubidinem, & elegantiæ, spreta sæpenumero vera lectione, intempestivam adfectationem merito notarunt atque dilucidis exemplis ostenderunt ANT. AVGVSTINVS & laudatus BRENCMANNVS, singulis vitiis temeraverat quoque haud parum istas Digestorum præfationes, id quod pleraque Gronovianarum Emendationum capita loquuntur. Non enim is ad titulum *Cod. de Vet. Iur. enucl.* tantum liberius illas corrigere habuit satis: verum plura, quam par erat, sui arbitrii fecit atque ipsam Codicis scripturam, in subsidium advocatam, aliquando adauxit de suo & passim exornandæ orationis industria quædam in dictione interpolavit: cuius licentiæ exempla in Græcis loquendi figuris ab Haloandro in Latinam dictionem transfusis protulit ANTON. AVGVSTINVS *Emendat. lib. II. c. 1.*

Meliora quidem alluxerunt fata iisdem Constitutionibus a sollicita fide & accuratione LAELII TAVRELLI, & a religione, quam ipse profitetur: *se puram putam Florentinarum Pandectarum lectionem secutum esse*, scribens, *omnibus vel minutissimis exemplaris eius figuris bona fide repræsentatis*; & quam iustis laudi-

laudibus certatim prædicarunt æqui tam magni tamque difficilis operis æstimatores. Neque vero fraudanda est diligentissimi Viri his etiam ipsis proœmiis Digestorum præclare navata opera: neque omnino desiderandam eius vel sinceritatem vel circumspectionem existimaverim, quod quidem Gronovius plerisque locis, atque nonnunquam in re levioris momenti, non sine acerbitate nimia fecit. Bona nimirum ille crediderat fide, sibi aliquanto plus licere, sicut in aliis corruptissimis & insolentiore correctione depravatis, ita vel maxime in his Constitutionibus sive Epistolis, & perquam mendose scriptis, & summa intempestivarum manuum lascivia obscuratis: quas proinde in dubio ad titulum *Cod. de Vet. Iur. enucl.* corrigendas duxit; eo maiore & fiducia & iure, si privato forsitan ausu eas extrinsecus accessisse iudicavit: quemadmodum pro causa eius dicit Celeberrimus Brencmannus. Et si posterius minime iudicaverit Taurellus, quod quidem iudicasse nullo satis firmo probari argumento potest: recte omnino emendationem ex collatione istius tituli in Codice, ubi pleniores & integriores exhibentur, repetiisse dicendus est: in reliquis vero, ubi descivit a Tusci exemplaris scriptura, & hoc excusationem mere-

meretur: quum in primis laboris initiis non potuerit non fluctuare inter scripturam erroneam & correctiones, tanta diversitate illitas adgestasque, demum in ipsa edendi ratione nondum sibi adeo constare. Atque in eo quidem iniuriam Taurello potissimum facit Gronovius, quod, eum ab Haloandro plura imprudenter adsciviſſe, insimulat, quæ tamen omnino sunt perpauca: pleraque vero e Codicis collatione hausta esse noscuntur, atque mea qualicunque opera indicantur. Verius id culpæ vertendum erat Taurello, quod nimium fuerat proclivis in emendationes e Codice admittendas, suppressa, ubi etiam integritas & lectionis & sensus constabat, Florentina lectione: cum cogitandum erat, non magis has Constitutiones extra necessitatem variare ex geminis illis Codicis textibus licere, quam leges, quæ in ipso Pandectarum opere alio atque alio loco pleniores aut lenius fluentes exstant, hinc inde supplere, interpolare, atque, perficiendi studio, diversitatem, prudenti consilio relictam, auferre fas est. Si quid enim hac de re mei iudicii est, ipsa illa inter Constitutiones Pandectarum prævias & in Codicem relatas dissimilitudo arguere debet, ibi eas, qua primum erant promulgatæ, forma & verborum conceptio-

ceptione, ipsius Augusti voluntate ac iussu præfixas, hic inter repetitæ prælectionis Codicis leges Principali cura recognitas, non sine aliqua editionis novæ consulta dissonantia positas exstare.

Quamobrem parcius quidem in adsciscenda Codicis scriptura versandum erat LAELIO: sed vicissim GRONOVII nostri opera omne latura erat punctum, si nullas prorsus tituli de Vet. Iure enucl. noluisset esse partes in emendationibus suis: quare ipsum in his multa temere correxisse, cum non observaret, in Codice Constitutiones istas integriores haberi, censuit Cl. Iauchius, in eruditissima *de Negationibus Pandectarum* lucubratione, *Cap. XVI. p. 239.* Poterat enim istius tituli studiosior collatio utique pervincere, esse nonnulla in Florentino codice manifesto falsa, & inscitia librarii aut errore depravata: in quibus leniore correctione restituendis, &, quoad ingenii elegantioris solertia efficere posset, retinenda ac defendenda quacunque lectione Tusca, doctam quidem, sed superstitiosam aliquoties locavit operam, an dicam perdidit? Vir solertissimus: poterat etiam correctionum Taurellianarum fontem rectius indicare, ne saltem non omnium fere Haloandrum auctorem faceret. Enimvero cuilibet obvium

vium fit, GRONOVII curas vel leviter examinanti, fuisse ipsi constitutum, vindicare summa ope ac totis ingenii viribus fidem & integritatem Florentini manuscripti, nec apicem facile mutare aut patrocinio destituere, sed intercessione perpetua etiam probabiles emendationes vetare, quousque ab ingenio excitato & fœcundo auxilii latio ac medicina supereſſet. Hinc enim, sese, *non alium in finem, quam ut nuda & ipsa Medicei manuscripti verba describeret, hanc collationem instituisse*; alibi, *se hoc agere*, profitetur, *ut Digestorum Florentinorum auctoritas salva maneat, &, an id, quod exhibent, illæsum possit retineri & explicari; idque ipsum licet auctoritate aliorum defendi nequiret, suffecturam unicam optimi Codicis prætenturam, munimentis aliis omnibus validiorem:* in quo quidquid nimium fecit, non tam ex impotenti Etruscæ virginis amore, quam placendi & assentandi Sereniſſimo Magno Duci, divinæ illius gazæ possessori, industria factum est: vellem tamen, dum hoc egit, editores, Taurellum præsertim, paulo excepisset humanius, neque eorum vel emendationes vel exiguos quandoque lapsus immitioribus *tyrannidis*, *stultitiæ*, *anilis vanitatis*, *stupidæ confidentiæ*, *crassi erroris*, *lasciviæ* appellationibus esset insectatus.

Quum

Quum itaque Bibliopola diligentissimus de Gronovianis Emendationibus, rarioribus iam factis, prælo subiiciendis cogitaret, meque docuisset consilium suum: non id modo suasi, ut Epistolarum, sive Constitutionum de Pandectis integrum contextum ex manuscripto Florentino accuratius, quam in editione Taurelliana, repræsentatum adderet, restituta scilicet, quam Gronovius, testis oculatus, passim detexit, vera lectione & scriptura, nec tamen suspicionibus eius in textum admissis, verum in notulas reiectis: sed collationem quoque primæ & tertiæ Epistolæ cum duabus istis tituli *de Vet. Iur. enucl.* legibus, ad primas Codicis Iustiniani editiones a me institutam, lubenter cum ipso communicavi, & meas qualescunque curas, subitarias quidem, nec, quam vellem, expertas limam, adieci. Sane, si vetusti sub ipsa Artis incunabula typis expressi libri, manuscriptorum codicum vice aliquando fungentes, conferri diligentius & in consilium vocari merentur, propter egregium, quod in emendandis sanandisque Auctorum veterum Iurisque nostri locis subsidium præstant: ambæ Codicis Iustiniani editiones istæ, Moguntina, omnium prima, & altera, Ba-

ſileenſis, digniſſimæ erant, quæ conſulerentur: neque exiſtimo, earum collationem in his ipſis Conſtitutionibus aut ſine fructu ſuſceptam eſſe, aut futurum neminem, cui vel propter ipſam eorundem exemplarium, quæ mihi Bibliotheca Academiæ noſtræ publica obtulit, inſignem raritatem gratum eſſe, quod publico obtuli, officium queat.

Vt, pro inſtituto, quæ refert ſcire, editiones illas deſcribam, & artifices ætatemque earum deſignem: prior eſt illa ipſa, quam ſæpe laudatus BRENCMANNVS *in Hiſtoria Pandectar. Lib. III. Cap. IV.* quo editiones antiquæ, eoque nomine rariores & magis notabiles enumerantur, commemorat e bibliotheca Vaticana *num. 515.* Expreſſa eſt charactere litterarum illa ætate recepto, &, quia homines libris eodem charactere manu exaratis adſueti erant, ad emptores alliciendos a typographis ſtudioſe ac diutiſſime retento, Gothico nimirum, ſive, ut vocant, monachali, in charta maiore, formis etiam paginarum amplioribus, paginis ſingulis in duas columnas diviſis: marginem undiquaque premunt Accurſius aliique Gloſſatores veteres: ornamenta vero huic ſæculo ſolennia nemo neſcit, rubricas miniatas, litte-

teras in versuum initiis maiusculas, diversis coloribus calamo adpictas. Officinam & annum absoluti operis enuntiet subscriptio in fine voluminis minio effecta, eaque formularum antiquitate sat venerabilis: ita enim habet: *Anno natiuitatis xpi. Mcccc. lxxv. ad. vii. Kaledas februarias. Sciſſimo in xpo pre ac dno, dno Sixto ppa. iiii. Illuſtriſſimo, nobiliſſime domus auſtrie Friderico. iii. Romanor. imperatore inuictiſſimo, semp auguſto. Reuerendiſſimo in xpo patre ac dno, dno Adolpho archipeſule magutino. In nobili vrbe Magucia no atrameti calamo canave! ſd arte impſſoria (quia quide etſi antiquitas diuino no digna e viſa iudicio! nra nichilominus tempeſtate in dulta) Sacratiſſimi principis Juſtiniani Codicem! cunctipoteti fauete deo Petrus ſchoyffer de Hernſheym ſuis conſignado ſcutis, feliciter conſummauit. Laus Deo.* Subiecta his visuntur scuta typographi laboriosissimi & innumeris libris impressis præclari, artis nobilissimæ instrumentis conspicua. Pæne vero præterieram dicere, hoc volumen complecti non omnes Codicis libros, sed novem tantum priores, utpote solos ab initio editos: tres quippe postremi cum Iustiniani Novellis biennio demum post, anno MCCCCLXXVII.

ex eadem officina, eadem forma, exiverunt, quorum exemplar pulcherrimum, idque membranis impressum, bibliothecæ publicæ Marianæ Halensis cimelium, describit Amplissimus HEINECCIVS *in Præfat. ad Observationes Iuris Romani Bynkershoekianas.*

Diversum paulo habitum, & ab officina, unde prodiit, & ab ætate sua, duodecim quippe annos Moguntina recentior, nacta est altera, quam contuli, vetusta Codicis editio, eaque Basileensis. Cedit hæc illi quidem chartæ & formæ pariter magnitudine: est etiam charactere expressa minore, sed magis concinno, quam illa primigenia: litterarum, sub versuum initia, calamo pictarum in locum substituti sunt maiusculi minoresque typi alternatim, illi minio, hi fuligine expressi. Subscriptio in calce operis apposita est talis: *Codicis ani Iustiniani principis sacratissimi repetite plectionis: opus profecto magna cura atq; diligetia emedatum: ac charactere iucudissimo impsum Basilee feliciter finit. Anno a natali christianismo octogesimo septimo supra millesimum qterq3 centesimu. nonis Iuliis p Michaele Wensler.* Extant & huius inclyti typographi insignia sive scuta gentilitia post indi-

indicem titulorum in novem (nam et hos solos comprehendit hæc editio) priores Codicis libros: extrema vero pagina hederam sequentibus Elegis contextam suspendit:

Forte putas lector modicos sumpsisse labores.
Nos: cum codicis has, finximus ere notas.
Sed tua te fallit mens: & vehementer oberras.
Scilicet id lecto codice doctus eris.
Crede mihi herculeam vix vix superavimus hydram.
Vix ope celesti cetera monstra iacent.
Munere quo felix tandem basilea reperta es.
Correctum ut fieret cesaris illud opus.
Vive Vale andreaque helmut celeberrime doctor.
Nanque opera & studio hec pressa fuere tuo.
Apposita est ferro tuo (tua) *lima: & rodit vbique*
Quicquid erat vitii codicis usque sacri.
Tot ferrugineis mendis viciisque peremptus.
Vindice quo viuis Justiniane quidem.
Rursum igitur basilea vale: atque andrea valeto.
Gaudeat & Wenslers ingeniosa manus
Que cum ita sint: age dum legum studiosa iuuentus
Hunc eme secure: nec vereare librum.

Quem cum perſpicies: tot commoda: totque ſalutes.
Optabis nobis: quot fugat aſtra dies.

Plura de his & reliquis Codicis pariter, atque ſingulorum Iuris noſtri librorum, antiquis editionibus propediem dabit erudita, &, quæ omnium in hac notitia conatus tum accuratione tum copia vincet, Viri Præclariſſimi mihique amiciſſimi, IO. GOTTLIEB KRAVSII, in hac Academia Hiſtoriarum Profeſſoris, diligentia, qua Hiſtoriam Typographiæ a natalibus Artis ad annum uſque MDXX apparavit.

Meum nunc eſt de præſtantia utriuſque codicis vetuſti ſententiam dicere, &, quid ex eorum comparatione profecerim, aliquot exemplis comprobare. Et quidem Moguntinum, tanquam e meliore manuſcripto, & adhibita in emendando cura maiore, expreſſum, eſſe Baſileenſi anteponendum, diverſæ lectiones ex utroque annotatæ ſatis perhibent: licet ſint nonnullæ, pauciores tamen, in quibus viciſſim præferendus alter eſt Moguntino.

Hic certe in Latinis paſſim accuratior, in Græcis tamen exhibendis prorſus eſt infelix & foede barbarus, dum in §. *9. vulg.* §. *12.* Conſtitutionis l. *paratitla* corrumpit in *para-*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1844784568/phys_0028
DFG

paraticia, in Constitutione vero III. §. *17. vulg.* §. *22.* nimis ridicule *naptirax* pro iisdem habet, & in eadem Constit. §. 2. Græcum vocabulum πρωτα, utpote, secundum illud Accursii, nomen, *litteris, quæ legi non possunt*, perscriptum, exesse iussit. Istis autem locis Basileensis, licet non recte, tamen minore inertia, ibi exhibet *paratitbica*, intelligens *apposititia* & repletiones titulorum, quæ re vera sunt paratitla, hic vero græcum vocabulum Latinis litteris, *prota*, effert. Sed Græcorum accuratam scripturam in temporis illius impressis libris nemo quæret.

Magis itaque est, ut emendationum, quas Codicum istorum collatio vel suadet vel confirmat, exempla quædam enumerentur. Statim vero in Constit. I. *princ.* uterque consentit Florentino manuscripto in verbo *reperimus*, quam genuinam scripturam indicat Gronovius *Cap. II. ab initio.* Eadem Constit. §. 1. Codex Moguntinus pro *viris disertissimis*, habet *iuris disertissimis*: idque firmat Gronovii coniecturam, ad princ. Epist. III. vocabuli *iuris* in *viris* pronam mutationem advertentis. Contra vero in eodem §. *1.* sequendam & retinendam, secus, quam Gronovio videtur, correctionem ab antiqua & proba manu profectam, ac legendum esse,

res penitus desperatas, uterque Codex admonet. Eiusdem Constit. §. *4. vulg.* §. *6.* Moguntinus suffragatur Gronovio, negationem exturbanti in his: *nam qui * non * subtiliter factum emendat:* Basileensis vero, dum habet: *non insubtiliter;* ostendit nobis occasionem negativæ per emendationem adiectæ. Mox §. *5. vulg.* §. *7.* uterque codex hortatur, ut cum Cl. Iauchio negativam præponamus verbis: *quid possit antiquitas nostris legibus abrogare;* denique in §. *7. vulg.* §. *10.* lectio vacillans codicum nostrorum contemnere nos iubet illud, verbis, *consuetudinem Romæ sequi*, in *l. 2. C. de V. I. E.* temere adsutum: *& leges;* quod & ipse contextus, & illa Iuliani, quam Imperator laudat, scriptura in *l. 32. pr. D. de Legib.* aspernandum esse docet. In Constitutione III. §. *2. vulg.* §. *5.* uterque codex emendate, *quidam umbilicus*: ubi liber Florentinus, *quoddam umbilicum.* Conspicua vero est observatio, quam codices nostri ead. Const. §. *3. vulg.* §. *6.* loco in editione Taurelliana valde depravato, suppeditant: undenam scilicet illud: *bellicis * victori * periculis*, prognatum fuerit? Moguntinus porro in §. *18. vulg.* §. *22.* illam Dionys. Gothofredi,

fredi, quam Gronovius laudat & explicat, lectionem, *sub qua & voce Romana*, luculenter confirmat: quemadmodum in præcedente §. *17. vulg.* §. *21.* ambo codices restituendo contextui, *nec qui postea fuerint*, inserviunt. Nolo omnia enotare, dum id ago, ut exempla solummodo quædam proferam in medium, quibus, haud infructuosam codicum nostrorum comparationem esse, ostendam.

Erunt quidem, quos offendant minutiæ, quas consectatus videbor, dum vix litterulam in variantibus prætermittendam duxerim, de qua non admonerem: sed hi forte fructum huius solicitudinis in coniecturis ex litterarum permutatione desumendis, iudicio de codicum probitate formando, causis & occasionibus errorum indagandis, corruptelis ex corrigendi & mutandi licentia enatis obseruandis, suspicionibus ad sanandos similes locos, ex nugis etiam & ineptiis vel manuscriptorum vel impressorum capiendis, non animadvertunt.

Res Constitutionibus his comprehensas memorabiles ac singulares, atque ipsam compositionis Pandectarum historiam, ab

auctore sacratissimo nobis revelatam, qualicunque opera illustrare, & si quid spicilegii ab elegantioribus Iurisconsultis relictum est, eorum observationibus addere, conabor alio tempore, Exercitationibus, quas destinavi, Academicis: quibus & Græcæ Constitutionis rationem habere meliorem, eademque industria simul emendare, in quibus hallucinari nunc contigit, & prætermissa supplere atque curas secundas dare, boni cuiusque cum venia, licebit.

Restat in præsens de Indice Iurisconsultorum nonnulla dicere, quem non minus, quam Præfationes istas Digestorum, ad fidem Florentini libri accuratius, quam adhuc editus erat, e Gronovianis observationibus descriptum & emendatum adiicere, e re futurum videbatur. Esse mandato Imperatoris, quod extat Epistolæ III. §. *16. vulg.* §. *20.* talem auctorum & librorum, ex quibus collectum fuerat Pandectarum opus, elenchum compositum perscriptumque, nemo est, qui dubitet: neque dubitare de eo licet, quia non modo, τοῦτο τὲ γενέσθαι προστάξαμεν, ait Imperator, ἢ δὴ ἢ γέγονεν, sed etiam, ἢ ἅμα μετὰ περὶ τούτων ὑποτεθῆναι τῇδε τῇ θείᾳ ἡμῶν διατάξει παρε-

παρεκελευσάμεθα, statim subiicit: hic tamen ipse, adeo imperfectus, adeo mendose scriptus, adeo ex Græco & Latino mire commixtus, Index num profectus sit a Iustiniano, haud immerito dubium facit BRENCMANNVS *Lib. II. Cap. III.* & *Cap. VI. Histor. Pandect.* eum pariter atque alterum, titulorum, indicem librariis aut libri domino adscribendum existimans. Sed licet illi defectus & errores, de quibus ANT. AVGVSTINVS in aureo *Emendationum & Opinionum* opere, integro pæne *Capite IV. Lib. I.* & CVIACIVS *Lib. II. Observat. Cap. 21.* iam admonuerunt, illaque Græci cum Latino & sermonis & scripturæ inconcinna mixtura suspicionem moveant: non tamen crediderim, pace Viri Celeberrimi, eum Indicem recentius omnino fabricatum & Iustinianei, qui interierit, in locum fuisse substitutum: quin imo posset ille, haud sine specie, dici forsitan Græci librarii facinore ita in hanc hybridam formam corruptus. Si in ipso Pandectarum corpore, quod laudatus modo Vir Amplissimus testatur, *Lib. II. Cap. II.* simili lascivia nunc Latina vocabula Græce, nunc Græca Latine, quin & permistis interdum elementis exarata

passim

passim occurrunt: ecquid mirum foret, si plus aliquanto sibi audendum duxisset scriba in hoc Iureconsultorum elencho, quem ad ipsum Pandectarum σύστημα non pertinere putabat. Verum non opus est his coniecturis, imo nec locus iis esse debet, quum ipsa veritas haberi possit. Græce nimirum prorsus compositus est Index, &, mandato Iustiniani, Græcæ Constitutioni subiectus, quod illa, quæ huius Constitutionis verba paulo ante laudavi, satis perhibent: neque enim in Latina, quæ isti respondet, simile quid de Indice huic adiecto refertur, sed hoc solum dicit Imperator: *Ne autem incognitum vobis fiat, ex quibus veterum libris hæc consummatio ordinata est, iussimus & hoc in primordiis Digestorum nostrorum inscribi.* Ergo semel tantum in liminaribus Digestorum paginis appositus est Iurisconsultorum elenchus, & quidem, ut liquido constare puto, Græce additus est Græcæ Constitutioni. Quæ igitur, quum Græcis scribi debuissent, in eo perverse scripta sunt Latinis elementis, illa ipsa, quam attigi, librarii culpa & incuria ita perverse exarata fuerunt. Imperfectio vero & errores obvii, mea sententia, huius

In-

Indicis antiquitati non derogant. Non est dubium, si Iustinianus in primo de conceptione Digestorum mandato statim ipsis operis architectis curam huius elenchi iniunxisset, & absolutiorem & minus mendosum extiturum fuisse: at quum perfecto demum opere eius compositionem mandasset, difficilius iam erat omnes Iurisconsultorum libros, etiam mole minimos atque singulares, & ex quibus exigua omnino fragmenta in Pandectas relata essent, accurate designare, vixque hoc cessurum nunc erat, quin omitterentur alii, memorarentur vero alii libri, quorum nihil in Digesta redactum esset: quoniam *huius operis conditores non solum ea volumina perlegerant, ex quibus leges positæ sunt, sed etiam alia multa, quæ, nihil vel utile vel novum eis invenientes, quod exceptum Digestis applicarent, optimo animo respuerunt*, ut Imperator ait Const. III. §. *13. vulg.* §. *17.* Ex his tamen libris forsitan quædam sepositа inter legendum & enotata fuerant, quæ deinde in constructione Pandectarum contemnenda rectius statuerunt architecti: quarum rerum nunc, perfecto & absoluto opere, post aliquod temporis intervallum, non adeo certa & distincta, ut solet fieri, superа-

perabat memoria & recordatio, ut taceam, vix Triboniani & sociorum, sed, cuius fidei & solertiæ ille forte id negotii commiserat, opera elenchum hunc confectum videri.

Atque hæc mihi quidem de incluto Iurisconsultorum & librorum, e quibus illud Iustitiæ Romanæ templum ædificatum est, Indice Florentino in mentem venerunt. Notulis, ei adiectis, emendationes, supplementa, observationes adspergere volui, plura daturus, nisi mihi in multis otium feciſſet ABRAAMVS WIELING, ICtus & in illustri Frisiorum Academia Antecessor celeberrimus, his, quæ in *Iurisprudentia Restituta* ad Indicem Iurisconsultorum docte annotavit. Vale, LECTOR HVMANISSIME, meisque studiis fave. Scripsi Vitembergæ, pridie Idus Maias anno M DCC XXX.

LAURENTII THEODORI.
IO. FR. F. GRONOVII
EMENDATIONES PANDECTARUM
IUXTA
FLORENTINUM EXEMPLAR
EXAMINATAE
AD
VIRUM ILLUSTRISSIMUM
ANT. MAGLIABEQUIUM.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1844784568/phys_0037
DFG

CELEBERRIMO
TOTIUS ORBIS
MUSAGETAE
ANTONIO
MAGLIABEQUIO
SERENISSIMI
ET
CELSISSIMI
COSMI III.
MAGNI DUCIS ETRURIAE
A STUDIIS PROXIMO
LAURENTIUS THEODORUS
I. FR. F. GRONOVIUS.

In hac publica humani ingenii prauitate gratûlandum tamen eſt, quod non modo notitiam honeſtorum, ſed etiam, ubi ea noſſe cœperit, poſſeſſionem & uſum

appetat; & quod a multis eadem negligantur, plerumque inde fit, quod vel ipsa ignorent, vel emolumenti inde proficiscentis modum non capiant. Ingens hæc mea fortuna fuit, quod quum a teneris habuerim domi, qui rudem & asperum me molliret, formaret, & primum adolescentiæ fervorem excipiens quasi donaret incredibili mansuetudinis lenitate; hic idem, postquam firmatiorem me fecerat procedens ætas, non minus blanda quam erudita ratione docuerit & vivere & vitam agere ingenuam, hoc est, studiis artibusque liberalibus quibus libuisset, animum adpellere. Ita natus & educatus quamdiu placuit τῷ Παντοκράτορι: ubi fata negarunt, meque ut examinarem postulavit

lavit

lavit ætas; non potui non vehementer lætari vitam iam elapsam; immo reliquam ut ad præteritorum temporum exemplum instituerem ipsa pietas & domestica disciplina exoravit. Hoc animo libera peregrinatione suscepta tandem perveni in splendidissimam totius Italiæ plagam, Florentinam convallem Medicea providentia, ingeniis opibusque & festa pace virentem, ubi vivo videntique mihi contigit Te salutare, Antoni Illustrissime, sed vix patiebaris labantem clientem fungi officio, quin in sinum, patrocinium & intimam gratiam tuam simul & Musarum tuarum admitteres iuvenem verecundum, nulla re spectatum: sed qui, ut Te videret, impiger ad extremas mundi oras curreret con-

fusumque & anxium, quo officii obsequio insinuaret. Sed talem me occupavit suaviſſima & lepidiſſima tua humanitas, tantum rogare, quid veneram, quid peterem, quid vellem tot sumptibus, tot periculis iactatus; tum monere quid quaque die agendum foret, rationem otii Florentini exigere; domesticæ virtutis exempla proponere, nec tam Italicæ, quam Etruscæ, quam denique Florentinæ. Monstrare omnium gentium & linguarum infinitam turbam & quasi exercitum librorum electiſſimorum, ediſſerere qui sint in prima acie, qui post principia, qui agmen cogant. Sic dies deinceps continuos iuſſiſti, ut partem istius nobilis supellectilis excuterem & eligerem quodcunque vellem. Post-

ea

ea ubi me non totum degenerem probasti, moliri, conari, circumducere, instar mystagogi annumerare miracula dicam & artificia manuum in publicis privatisque operibus, an pia victoriarum monumenra, statuas, columnas, circos, fontes, nunc ære nunc marmore & præsertim illo Florentino vivos (non mentior) vultus ducente, & illos colossos equos tantum non gloriantes fortunam suam & quemque eorum quasi conscium Triumphalis Victoris gaudia immensa spirantes: denique quidquid vel aures vel oculos ab satietate posset tueri, & novo stupore eos percelleret, huc me ingerere & mirifico ductu iis inopinum opponere. Et quanta his tua interpretatio accessit?

sit ? quantum certamen erat libentiæ oris tui cum mea aurium hiante aviditate ? quo lepore & gratia illos Patres Patriæ, illud Stemma modo urbanis artibus, nunc imaginibus inclytum, nunc pastorio Christianæ Ecclesiæ pedo ad ipsa astra evectum, semper certe viridi lauru & velut novæ palmæ gemma exuberans recensuisti, donec ad tantæ prosapiæ, laudis, magnitudinis, virtutis, & vel meo hominis peregrini exemplo, indulgentiæ Heredem, præsentissimum Florentiæ Numen, non modo sermonem deduceres, sed quod gloriæ meæ maximum reputo, honorem etiam mihi conciliares ? Porro igitur animadvertens, me quoque aliquanto curiosiorem, sed quod iuvet, propera-

peraviſti aperire aditum ad illas, nullis ſine admiratione, multis cum infinito emolumento, conſpectas bibliothecas tum alias, tum præſertim Sanctorum Marci & Laurentii, exhibere codices ante ſæcula ſcriptos, & quid præſtitum in illis eſſet, quid reſtaret agendum & veritate & iudicii dexteritate admirabili ediſſerere, ut me mihi eriperes. Numquam obliviſcar illius diei, quo me in illa varietate & tantis ſpectaculis fluctuantem rapuiſti ad Laurentiana ſcrinia, quum inter eſcendendum miranti nunc columnarum ex vivo ſaxo molem & copiam ſumptuoſiſſimam, modo in venuſtatem graduum penitus defixo aurem velleres

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.

Ergo ut primum iussis pandi geminis portis, non illis bellici Jani, sed Paciferæ & Mediceæ Opis, illud Camænarum cœlum & grande doctrinæ ac beatitudinis arcanum te admissionali oculis & favente lingua videre cœpi & undique versus iam spatio, iam ipsius spatii ornamentis adstuperem : tunc (meminisse enim iuvat) ne, ut consueram cum sodalibus meis Amstelodamæi emporii curiam errore sterili peruagari, præsenti tantum illecebra sine fructu insequentium dierum impleret, vim tacitam inferens impulisti me ad dextrum e medio latus non invita, ut eventus

tus docuit, Minerva, illa & præside loci istius & tibi tantopere favente Dea ; & laudare quidem illa exposita & φαινόμενα iussisti, istos autem dextros pluteos colere & calefacere. Tunc ad primum sedile monstrare Servios membranaceos duodecim ; promere duos antiquissimos, & quid in iis foret efferre, hortari verum probumque laborem. Inde prolatis Sidonii Epistolarum duobus vetustissimis exemplaribus, quo partim stomacho, partim cachinno prosequi ignorantiam hominis prorsus Σκυθικὴν & ab septentrionis sui horrore non degeneris, qui ex eorum altero *Solinum* publice fecerat ? Sic per reliqua deinceps usque

que ad alterum ab postremo (nam hic Hebraicis Chaldaicisque pluribus, paucis Græcis censetur) progressus, illic adorandam illam Artemidorei exemplaris vetustatem, an integritatem? ostendisti. Opus enim foret, si & alia tunc a te dicta hic recenserem, & vel mei habitus interpretationem duntaxat aggrederer, vel quemadmodum non tantum omnium gentium virorum doctissimorum, sed etiam mei sanguinis me admonueris. Quanto minus ergo ausim ad sequentium dierum venustates & immensa illa beneficentiæ tuæ ingenia, quibus expeditissimam facillimamque facere studuisti moram illic meam hominis, quem fraternis bene-

beneficiis tibi mancipaveras, & bene secum agi putantis, si quamcunque obsequii gloriam apud te sibi vindicare posset, commemoranda, nedum ex alto repetenda accedere? Non tu illa chartis inscripsisti, nec inscribi per me pateris, sed perennitati recordationis sanctissimæ, cui inhærebunt perpetim. In unam huius materiæ portionem, cuius utilitas unica vitam quoque hanc meam gratam ac iucundam facit, dignam notitia, dignam prædicatione, libentissimus oratoria verba arcesserem, nisi apud te maximam bonitatis compensationem poni in ipsis recte factis, & me illis parum aptum scirem. Fas sit tantum exsequi, quantum ad harum

rum chartarum fata cognoscenda sufficit. Anhelantem in me obser-vabas sitim ad usurpandos propius penitiusque sacratissimos illos Romani iuris Pandectas, non per scripta eruditissimorum hominum decantatos magis, quam inter gazas micante auro flammasque imitante pyropo opimas adservatos sancte secureque. Quid multa? effecisti, ut fruerer consummatione voti ultra fidem felicis, utque clementia Sereniſſimi & Celsissimi Magni Ducis in palatio veteri, in diæta gemmis auroque & magnificentiæ regiæ instrumentis copiosissima, Davide & Hercule ianitoribus utens, illas purpureas syttibas rasili auro distinctas per tres quattuor-

ve

ve menſes calide tractaverim, & hæc beneficio ſummi Numinis non tam reſidua quam in ditionem poſſeſſionemque dignam relata duo volumina ad lubitum meum volverim & inſpexerim. Hoc totum eſt, quod reticere non potui. Dixi breviter, dixi quod res eſt, quoniam excedit menſuram facundiæ meæ. Exiſtimet enim quiſque, prout volet : ſcio me tunc vixiſſe, ſcio nullo tempore talem vitam mihi redituram. Vt tamen ſimilitudinem iſtorum dierum ſerenitatis luderem, repeto ac renovo illam beatitudinis imaginem oculos manumque mittendo per earum linearum veſtigia, quas in editione Taurelli tunc etiam, ne quod deeſſet

esset liberalitatis exemplum, utque absenti deinde mihi firmior adesset tui admonitio, a te mihi præstita; qua ratione natum hoc schedion Genio Benignitatis Tuæ suspendo; quod ut litet, non nisi ab ista toties experta facilitate tua exspecto. Vale. Daventriæ a. d. V. Cal. Apr. CIↃ IↃC LXXXV.

LAU-

LAVRENTII THEODORI

IO· FR· F· GRONOVII

EMENDATIONES EPISTOLARVM IVSTINIANI DE PANDECTIS

CAPVT I.

Emendatur principium epistolæ primæ. *Principes Deo auctore gubernant imperium.*

Quod jam aliquoties solus feci; fert nunc animus tecum, Amice Lector, ingredi ab Imperatore Justiniano excitatum Justitiæ templum, nec otiose & tantum adorandi gratia, sed ut curiosum & religiosi studii plenum oculum applicemus singulis, quibus illud exornavit, donariis ac more peregrinantium, (quorum in numero sane ob hanc rem fui) qui solent acutiores esse & ma-

jore anxietate uti in sciscitandis quibuscunque, quam ii, quorum iste quotidianus conspectus est, perquirere etiam minima. Neque vero quia & tu forsitan sæpe idem feceris, certe ad id persæpe invitatus fuisti ab aliis, sive illos mystagogos, sive ædituos, sive curatores reficiendi sacrarii appellabo, nostram humanitatem & invitationem sperne. Vt enim libens agnosco illorum sanctimoniam in rite operando; sic recipio non pauca vel situ obducta, vel squalore obliterata & hinc hactenus ignota, immo alia fere faviſſam exspectantia, verberatura visum nostrum, quæ quidem non minus eorum flaminum curam merebantur ad nitidam conservationem, quam Augustissimus Cæsar eadem judicavit congrua tam conspicuo & nobilissimo operi fercula; alia etiam videbis si non neglecta, at ipso restituendi modo corruptiora. Sed antequam illuc pergo, ipsum vestibulum, in quo leges dedicationis & formulam vel intrandi templi vel administrationis sacrorum suspendit, me advertit, mereturque ut inspiciatur, non ideo tantum, ut deinde ingressi cavere ab piaculo possimus, sed quia statim hic occurrunt vel temporum injuriæ vel sodalium istorum incuriæ exempla; immo quia &

illud

illud non minus Maximi Pontificis noſtri opus eſt, quam ipſum templum. Sit ergo fas, ut hic labor noſter dicetur & pervigilium indulgeat tribus ejus orationibus ad confirmanda reliqua propoſitis & per editiones præmitti ſolitis, atque Indici operum Jurisconſultorum.

Incipit enim. *Deo auctore noſtrum gubernante imperium, quod nobis a cœleſti majeſtate traditum eſt, & bella feliciter peragimus.* Quam variis modis diſſideant viri docti in concinnandis harum epiſtolarum ſententiis, infra magno theatro videbimus. Sed in hoc initio concordant omnes, eſtque hæc lectio conſtanter exhibita ab omnibus, quos in hunc uſque diem vidimus & longa ſerie numerare poſſumus, per typos vulgatis libris. Immo hanc ipſam nobis non hic ſolum, ſed alio etiam loco, nempe in titulo Codicis, De jure veteri enucleando, offerunt; & haud dubie, ſi non illic, certe hic & Juſtiniano & mundo ſi non erudito, ſaltem juridico obtrudunt calumnia manuſcripti Florentini incomparabilis ſane & tam antiquitate quam dignitate præſtantiſſimi. Quod etſi foret, itane loquax cenſebitur Cæſar, ut unum & idem ſic toties proferat? an alibi pupillus inducitur loquens *tutore auctore noſtrum gubernante patrimonium?* an ſi fieret,

tolerari sermo ille posset? Ne dicam voces has, ut vulgo leguntur, conceptas contrarias esse sequentibus. Quid enim aliud notant illa *Deo auctore nostrum gubernante imperium*, quam quasi instinctu Dei ipse abdicasset & Deo dedisset suum imperium gubernandum? qui sensus ut veritati, sic & sequentibus palam contradicit. Certe quidem Deus & auctor est imperiorum & ea gubernat, sed sua illa arcana vi, in quam an nunc Justinianus intendat (fingamus enim securos jam nos loquutionis) equidem dubito, quum suæ modo gloriæ præconium velit edere. Sed mera fraus est. Nos in illo ipso manuscripto legimus GUBERNANTEſ', quæ litera ultima sæpe in hoc opere sic formata apparet, nec aliud indicat quam vulgare sigma; quod duplici modo illic pingitur *s* & ſ'. Sic paulo post DIſ'PONIT pro *disponit*. Sic in indice Jurisconsultorum *De officio præsidis* βιβλίῳ δύο, ubi scriptus PRaEſ'IDIſ', & multis aliis locis. Jam vero ut facilius excusentur summi viri, qui ante nos volumen illud versarunt & hanc literam prætermiserunt, monere fas erit, hanc paginam plica transversa ab imo ad summum involvi; quam nisi replicaveris, non videbis illud sigma & peribit tum veritas, tum elegantia hujus prin-

principii. Etenim bella peragere, pacem decorare, ſtatum reipubl. ſuſtentare quid aliud eſt, quam gubernare? aut ſi loquutus eſt, ut vulgo edunt, quomodo poſſit dicere §. 8. vulg. 11. hujus epiſtolæ, *ideo jubemus duobus iſtis codicibus omnia gubernari?* Cujus quæſo eſt jubere gubernari, niſi qui ipſe gubernat, vel ex definitione noſtra, qua cenſetur is damnum dare, qui jubet dare? An is dicere poſſet, quod tamen dicit, in procemio Inſtitutionum, *voſmet ipſos ſic eruditos oſtendite, ut ſpes vos pulcherrima foveat toto legitimo opere perfecto, poſſe etiam noſtram rempublicam in partibus ejus vobis credendis gubernari?* An dicere poſſet, quod tamen dicit lege 1. §. 1. C. de officio præfecti prætorio, *quam nunc tuam excellentiam gubernare, decernimus?* & §. 5. ibid. *Optamus ergo, ut omnes judices noſtri ſecundum voluntatem & timorem Dei & noſtram electionem atque ordinationem ſic ſuas adminiſtrationes gubernare ſtudeant?* At profecto ſi legatur ex unico manuſcripto *Deo auctore noſtrum gubernantes imperium* &c. *peragimus*, tum per ſe omnia bene conveniunt, tum maxime ad mentem, immo ad conſuetudinem ipſius noſtri Juſtiniani in loquendo aptiſſime ſermo formabitur. Quod ut pateat, libet hic ſpatiari, & ecce in epiſtola 3. §. 9. vulg. 12. de con-

firmatione Digestorum : *uberesque gratias maximæ deitati reddidimus, quæ nobis præstitit & bella feliciter peragere & honesta pace perpotiri, & non tantum nostro, sed etiam omni ævo tam instanti, quam posteriori leges optimas ponere ?* Quid hic *leges ponere* aliud, quam quod in prima epistola *gubernare ?* Nec aliter in Græco exemplari §. 12. vel 13. τῷ δεσπότῃ θεῷ καὶ τοῦτον ἀναθέντες τὸν ἄθλον τῷ καὶ εἰρήνην ἄγειν καὶ πολέμους κατορθοῦν, καὶ νομοτεθῆσαι, παντὶ τῷτε πρὸ ἡμῶν τῷτε ἐφ' ἡμῶν τῷτε μεθ' ἡμᾶς χρόνῳ δωρησαμένῳ. Rursus in eadem epistola. *Quia ideo imperialem fortunam rebus humanis Deus præposuit, ut possit omnia quæ noviter contingunt, & emendare & modis & regulis competentibus tradere.* Græca breviter §. 18. ἀλλὰ βασιλέαν ὁ θεὸς διὰ τοῦτο καθῆκεν εἰς ἀνθρώπους, ὅπως ἂν τοῖς δεομένοις ἀεί τι διατάττωσα. Et inprimis clare in lege 1. Cod. de officio præfecti præt. *Ergo post tanta beneficia, quæ nobis divinitas contulit, hoc de Domini Dei nostri misericordia postulamus, ut provincias, quas nobis restituere dignatus est, firmas & illæsas custodiat: & faciat nos eas secundum voluntatem suam ac placitum gubernare.* Rursus in præfatione Novellæ 164. Θεοῦ τε καὶ δικαιοσύνης μεῖζον ἐστὶν οὐδέν. τούτων γὰρ χωρὶς οὐκ ἄν τι τῶν δεόντων πραχθείη ποτὲ, καὶ διὰ-

διαφερόντως ἐν τῷ καθ' ἡμᾶς πολιτεύματι. ἐντεῦθεν ϗ βασιλεύειν ἐστὶν ὀρθῶς, ϗ τὰς ὑπηκόους εἰς εὐνοιάν τε ϗ πάσαν εὐγνωμοσύνην ἐφέλκεσθαι. id est, *Deo simul & justitia nihil majus exstitit; absque his enim nihil unquam commode geri potest, & præcipue nostra in hac republica. Exinde enim & recte regnare, & subjectos ad benevolentiam, neque non ad summam licet attrahere devotionem.* Ergo auctore Deo Cæsar gubernat imperium suum, hoc est, ut ipse loquitur in præfatione Novellæ 86, ἐξ ὧν περ ἡμᾶς ὁ θεὸς τῇ Ρωμαίων ἐπέστησε βασιλείᾳ. *Ex quo nos Deus Romanorum præposuit imperio.* Et ipsa loquutio est inferius epist. 3. §. 6. vulg. §. 9. *ut tantum opus nobis auctoribus possint conficere,* aut epist. 2. §. 2. *quod nobis emanavit auctoribus.* Nec aliter loquuti sunt optimi quique, imo ipse Deus. Ipse Deus nos docet se auctore gubernare reges. proverb. 8, 15. & 16. Δι' ἐμοῦ βασιλεῖς βασιλεύουσι, ϗ οἱ δυνάσται γράφουσι δικαιοσύνην. Δι' ἐμοῦ μεγιστᾶνες μεγαλύνονται, ϗ τύραννοι δι' ἐμοῦ κρατοῦσι γῆς. Quæ antiquus interpres vertit: *Per me reges regnant & legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant* & potentes decernunt justitiam. Horat. lib. 3. Ode 1.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis.

Hanc emendationem, quibus potui argumentis & locis similibus probare studui; ne quis meæ imprudentiæ dicam impingat, aut putet juvenili fervore raptum omnia nova & insolita proferre ostentandi magis, quam veritatis defendendæ voluntate. At tanto justior nobis visus est hic labor, quo nihil nostri jactamus, sed solam auctoritatem Florentini manuscripti, a quo petita est & indecenter ab tot præstantibus spectatoribus non animadversa hæc mutatio, propugnamus; atque eo confidentius publicam facio, quod pluribus & extra & intra patriam viris doctissimis eam probaverim.

CAPVT II.

Idem principium, vulg. §. 1. emendatur. *Extendi, Decurrere infinitum.*

*Reperimus autem omnem legum tramitem, qui ab urbe Roma condita & Romuleis descendit temporibus, ita esse confusum, ut * in * infinitum extendatur, & nullius humanæ naturæ*

ræ capacitate concludatur.) Hanc lectionem editiones, sequutæ Taurellum, nunc elegerunt: at in Florentino manuscripto lego primum *reperimus autem* &c. at alterum *p* ab alia manu supra positum est, quod contemnimus, & debuit contemnere Taurellus; quum ita in multis antiquis manuscriptis observaverim. Quod licet leve, tamen dictum esto ad tutelam Batavæ editionis, quæ tandem geminatam literam despicit. Alterum, quod gravius est, in medio videmus inter duas stellulas præpositionem *in:* quæ stellulæ idem indicant, quod jam factum diximus in *repperimus*, nempe vocula eam in libro Florentino non exstare. Hinc profecto operæ non est, ut has stellulas cum voce *in* diutius feramus. Sane quidem in epistola II scribitur *in librorum duo milia extendebatur.* Et epistola III §. 1, *hocque & in Imperiales constitutiones extendentem.* per quæ loca & loquutionis Justinianææ exempla deductus videtur Taurellus. Sed non hic agitur de constructione verbi *extendere*, sed an merito Taurellus vetustæ & ab fidis adeo membranis servatæ lectioni molestiam intulerit, & an Imperator non æque *infinitum extendere* potuerit dixisse, & perfecte dixerit, quam quod alii efferrent cum præpositione. Immo certe: nam si volumus de

genio Latinæ linguæ solliciti esse, *infinitum* adverbii instar hic sumitur, pro, infinite, infinitò: ita primò, primùm, postremò, postremùm, de quibus Vossius lib. 4. de analogia cap. 19. Quin etiam ne dicam toties in ipso Livio occurrere *tantum auctus*, *aliquantum crescere*, *fugere*, de quibus jam sæpe illic actum a viris doctis; pro quo tamen & Virgilius *In tantum spe tollet avos*, & Tacitus de corrupta eloq. *in tantum a majoribus recedere*, ut ea sint pro iisdem habita; tum ipse Imperator noster plane sermonem suum ostendit epist. 3. §. 18. *Sed quia divinæ quidem res perfectissimæ sunt, humani vero juris conditio infinitum decurrit.* Quod antiquæ editiones bene expressérunt. Sed Gothofredus notat in margine: al. *in infinitum*. Quod Haloander adsciverat: sed recte ejecit Taurellus. Sic *totum* adverbialiter ep. 3. §. 10. vulg. 14, *aut enim ita lex necessaria erat, ut diversis titulis propter rerum cognationem applicari eam oporteat: aut cum fuerat aliis diversis permixta impossibile erat per partes detrahi, ne totum confundatur.* Sic enim merito & allegamus & in editionibus exhibenda esse hæc verba censemus omisso τῷ *eam*, quod editoribus placuit adsciscere post τὸ *impossibile erat*, non aliunde, nisi quod lasciva manus recens id superposuerit in Mediceis mem-

membranis. Etiam ratio loquendi manifesta sic postulat, quum lex per partes detrahi non possit, sed ex lege, quæ diversis aliis permixta constabat, per partes detrahi poterat id, quod diversum in ea occurrebat. Sed quo ea? Sufficit apparere vocem esse improbatæ fidei.

CAPVT III.

Producitur & examinatur lectio codicis Florentini in §. 1. vulg. 2. *Desuetus* pro nunquam facto.

Deo freti, qui & res penitus desperatas donare & consummare suæ virtutis magnitudine potest.] Satis animadverto has desperatas res ideo vocari ab principe, quia superius per exaggerationem fere nimiam dixerat neminem neque sperare neque optare ausum esse talem collectionem juris; & similiter orat. 3. principio *quod nemo ante nostrum imperium unquam speravit:* adeo ut ne hic quidem hæream contemplatione vel sententiæ vel editionum. Hæreo respectu præstantissimi codicis in Italia, ubi pro illo *desperatas* legitur UEI'PETaS, aut UEI'P. & literæ RA superscriptæ, adeo ut vulgatum non possit adspici nisi acumen alieni vel ingenii vel

cala

calami, inde ortum, quod hæc legens non adsequeretur sacri palatii vocem, quam fuisse opinor DESUETAS. Nam *desuetum* non videtur Cæsareo ori placuisse tantum de eo, quod quum frequentatum ac usurpatum olim esset, desiit usurpari & sic in desuetudinem abiit (ut passim alibi, & sic epist. 2. §. 3. *nullo inutile, nullo desueto in his penitus inveniendo*) sed etiam quod nunquam vel factum esse vel fieri potuisse creditur, aut speratur; plane ut *inusitatum* apud priscos, non modo de eo quod quum usitatum esse possit, usitatum nunquam fuit, sed nec potest usitari. Certe hoc respectu & sensu videtur infra adhiberi epist. 2. §. 2. *Nihil aliud nisi sex tantummodo libros & ipsos confusos & jura utilia in se perraro habentes, a voce magistra studiosi accipiebant, ceteris jam desuetis, jam omnibus inviis.* Ubi illa desueta dicit, quæ ne cognoscebantur quidem, utpote nullo accedente ad vestigationem duum millium librorum: plane ut in eadem epist. §. 1. jungit invia cum non idoneis neque aptissimis ad eruditionem constitutis. Potest autem considerari hæc notio τὸ desuetus, ut nova dicuntur non modo recentia integra, sed etiam insolita, ut loquitur in notis ad Senecam pater lib. 7. Nat. Q.

CA-

CAPVT IV.

Purgatur ejusdem epistolæ tmema tertium vulg. §. 5. *Totum* absolute dictum.

Cumque hæc materia summa nostri numinis liberalitate collecta fuerit, oportet eam pulcherrimo opere exstruere, & quasi proprium & sanctissimum templum justitiæ consecrare: & in libros quinquaginta & certos titulos totum jus *digerere*] Taurellus notat in Florentino manuscripto *jus* aliena manu appositum, sed bene facit dum nos id monet, quemadmodum etiam Russardus, Charondas, Contius & Batava editio : Haloander ante Taurellum id recepit in contextum sine ulla hæsitatione, quem sequitur Corpus Glossatum anni M DLIX. & Gothofredus. Si examinetur sententia horum verborum, omnino probanda lectio antiqua Florentini codicis, qui illud *jus* non agnoscit. Sub verbis enim *totum digerere* intelligere possumus aliquid commode, nempe *opus* vel *templum justitiæ*, quod propius præcessit. Nam paulo post sequitur *totum jus antiquum* &c. quæ varietas magis delectat. Sed neque necesse est ullum hic tale effugium circumspi-

ſpicere, aut quidquam ſub vocabulo *totum* intelligere, quum poſſimus credere Imperatorem ſic abſolute loqui voluiſſe; quod potuit facere non Imperatorio magis jure, quam ſuo more, quem poſſumus agnoſcere ex loco, quem citavimus fine capitis ſecundi. Immo ut patientius his temporibus indulgeamus, an hæc generis mutatio inconcinna videri poſſet antiquis Latinis? non magis ſane, quam illud Senecæ epiſt. 118. *Exigis a me frequentiores epiſtolas. Rationes conferamus: ſolvendo non eris. Convenerat quidem, ut tua priora eſſent; tu ſcriberes, ego reſcriberem.* Ubi videmus præcedenti fæminino ſubnecti neutrum, plane ut hoc loco Imperator, in quo ut ſibi placuerit Seneca, videre potes ex paternis ad eum notis ad librum II de Clementia cap. 3.

CAPVT V.

Tmema quartum, vulg. § 6. emendatur defenſo codice Florentino. *Juſtinianus ſubtiliter emendavit Juriſconſultorum libros.*

*Nam qui * non * ſubtiliter factum emendat, laudabilior eſt eo qui primus invenit*] Cauſa non eſt ob quam illud *non* hic recipiatur, quod

quod a recentissima manu in Florentino manuscripto supra scribitur. Qui subtiliter factum emendat, vel ut clarius loquamur, qui subtiliter emendat id quod jam factum & repertum est, nonne per multa is laudabilior dici potest eo qui primus invenit? utique ingenii palmam emendator iste subtilis meretur; præsertim si supponatur emendatoris ejus ingenium tale esse, ut etiam reperire primus id potuerit. Non enim omnia primum ducta & inchoata sunt Veneres Coæ. A contrario qui emendat non subtiliter factum quodcunque, is non potest multum laudari. Nam in arduis laus sita est. Sed ut deliberemus propius de eo, quod ab Justiniano venisse certam nobis fidem facit membrana Florentina, video τὸ *subtiliter* posse tam ad *factum* quam ad τὸ *emendat* referri. Sed utrumcunque ex his placeat; certe accusantur merito auctores vulgatæ lectionis, *qui non subtiliter*, ut injurii partim in priscos juris interpretes, partim in sacratissimum Justinianum, & iniqui rerum ab eis laudabiliter gestarum æstimatores. Quid enim? an non erubescunt sic vituperare antiquos Jurisconsultos, & statuere ab eis non subtiliter factum? quum certe illi subtilius fecerint, quam omnes illi Jurisconsulti qui ab Justiniani ævo

ad

ad hoc tempus exstiterunt, & sic ausi sunt ineptire. Cur in antiquis Jurisconsultis, Viris certe & doctissimis & acutissimis non agnoscunt, quod alii sapientes in suis majoribus & sectæ suæ ac disciplinæ genitoribus agnoscunt, ut scribat auctor dialogi de corrupta eloquentia ; *quæ a præstantissimis viris & excogitata subtiliter & dicta graviter accepi ?* Tanto autem hoc turpius, quod hanc accusationem optimorum & subtilissimorum virorum curaverint pronunciari ex ore Imperatoris Justiniani, & ejus quasi auctoritate stultitiam hujus sententiæ obvelare; quum profecto, nisi Justinianus censuisset subtiliter ab eis factum, contempsisset responsa illorum scriptaque, nec in suum justitiæ templum intulisset eorum fragmenta. Immo hinc & ipsius Justiniani calor in hebeti negotio collocatur. Sed Justinianus non ita ingratus est, ut non agnoscat in priscis subtilia. Agnoscit quidem in multitudine auctorum aliquid quod melius altero & æquius est; & tamen agnoscit quoque in deteriore sententiam bonam & facturam ad repletionem summi ingenii Papiniani laborum vel interpretationem. Etiam scribitur Julianus, epist. 3, §. 14. vulg. 18. *Subtilissimus edicti perpetui conditor.* Hinc tam laudabilis ex Justiniano memoria nominibus vel Pauli

vel

vel Papiniani aliorumque præfixa. Hinc merito sibi indulget ac majorem gloriam attribuere videtur, quam reliquis vel Imperatoribus vel Jurisconsultis, ex quorum operibus Digesta confecta sunt, quum vel subtiliter a se emendari jactat ea quæ ab priscis quomodocunque facta sunt, vel ea etiam, quæ subtiliter ab eis facta agnoscit, emendat tamen. Et revera Justinianus subtiliter emendavit jura secundum ea tempora, certe voluit. In fine hujus epist. ipse jubet. *Hæc igitur omnia Deo placido facere tua prudentia una cum aliis facundissimis viris studeat, & tam subtili quam celerrimo fini tradere.* Initio epist. seq. *Omnem Reip. nostræ sanctionem esse purgatam & compositam.* Et §. 5. *Constitutionum Codicem tam legere quam subtiliter intelligere studeant.*

CAPVT VI.

Ejusdem epistolæ tmema quintum vulg. §. 7. liberatur ab ingenti centone, defenso codice iterum eodem.

Sed & hoc studiosum vobis esse volumus, ut si quid in veteribus non bene positum libris inveniatur, vel aliquod superfluum, vel minus perfectum

*fectum * ſupervacua longitudine ſemota & quod imperfectum * eſt, repleatis: & omne opus moderatum & quam pulcherrimum oſtendatis*] Verba inter ſtellulas notata, in Florentino manuſcripto neque olim neque hodie apparent. Haloander tamen ante Taurellum & poſt Taurellum Corpus Gloſſatum & Gothofredus ea verba ſine ullo ſigno in contextum admittunt. Fiat hoc ſane volentibus tam magnis Dîs. Utique tamen debuiſſent manere in eadem nimis clara oppoſitione rerum verborumque ſignificanda, ut ſicut nunc volunt *quod imperfectum eſt repleatis*, ſic procederet in ſequentibus ac ſcriberet, *ex ſupervacuo opus moderatum, ex eo quod non bene poſitum eſt, quam pulcherrimum oſtendatis.* Sed miſera hæc foret verborum ſine ulla modeſtia aut decore extenſio. Nunc autem quid fit? nempe idem committitur error, quem in principio cavimus: hoc eſt, idem bis terque dici; *minus perfectum & imperfectum; ſuperfluum, ſupervacua longitudine remota, opus moderatum* &c. Convenienter autem ejectis ſpuriis opponit invicem: *minus perfectum eſt, repleatis; ſuperfluo, opus moderatum: non bene poſito, quam pulcherrimum.* Quemadmodum plane ipſe paulo poſt jubet.

CA-

CAPVT VII.

Idem tmema emendatur. *Insuere*, *glomerare*, de scribendo & componendo.

In antiquis legibus vel constitutionibus, quas antiqui in suis libris imposuerunt] Largior facile viris eximiis huc delapsis, ut quum toties vel præcedat vel sequatur nunc simplex *ponere*, nunc compositum *imponere*, ne hunc quidem locum ab eo usurpando cessare debere constituerint. Sed cur tam pessime de aulica Latinitate censent, ut quod ipsorum nemo facere cuperet, persuadeant sibi Justinianum id feciſſe, & tam futili repetitione vocis ejusdem, & hujus etiam non admodum concinnæ se venditare voluisse? Editores enim sunt, quos jam legis, Lector, non Imperator, non sanctissimarum ejus reliquiarum in aureo codice memoria & fides, quum is præferat *imposuerunt* pro verbo postremo. Certe enim habuit & Justinianus ut ævi sui proprietates & si ita volumus & audemus, morbos & καχεξίας in loquendo Latine, sic habet nitorem quoque suum & facundiam. Certe & justitiæ templum vocat libros Juris: occurrit in oratione ejus *pratum*, occurrit *spinosum*, occurrunt *legitimi*

thesauri. Placuit illi *per saturam collectum, climatæ & corrivatæ institutiones, quinti anni metas.* Certe qualem se & suos in sermone & loquendo haberi velit, sacratissimus princeps egregie declarat epist. II. §. 9. scribens, *cum oportet prius animas, & postea linguas fieri eruditos.* Hoc igitur quum velit ac postulet in suis; hujus quum in se documentum dare non neglexerit; quæ absurditas est adeo informem & dedecentem affricare sermonem? præsertim quum aliorsum bonam mentem recteque in contemplando formatam deducat? Quæso etenim? an mutationis nomen meretur, si dixero ex manuscripto legendum esse *in suis libris insuerunt?* Non opinor cuipiam id visum iri; sed fortasse, dices, nimis aut proba aut arcessita est hujus verbi translatio, quam ut illam animo principis obversatam fuisse affirmari possit. Noli, mi Lector, id credere, & imaginare tibi omnia optima de principe totius terrarum orbis & circumcincto tot Antecessoribus nulli hodiernorum cessuris, etiam in hac parte. Quod ut sine ullo scrupulo facias, ipse, ut spero, tibi persuadebit, vel eo solo, quod edit epist. III. §. 4. *Post quæ hæc omnia interdicta glomerata sunt.* An non prorsus eandem ab filo metaphorum agnoscis? Immo non pigrabor conscium te facere opi-

opinionis meæ, licet audacioris, quæ tamen ipsa forsan gratiam tuam mereri videbitur. Verba enim sunt epist. II. §. 1. *Pauliana responsa per semet ipsos recitabant, neque hæc in solidum, sed per imperfectum, etiam quodammodo male consuetum inconsequentiæ cursum.* Profecto enim valde languet & velut currendi nimia consuetione fessus jacet hic male consuetus inconsequentiæ cursus. Hinc in alio manuscripto Florentiæ ad sanctæ Crucis nescio qui librarii temerario equidem ausu exhibere non sunt veriti *etiam quodammodo constitutum male inconsequentiæ cursum*, quod penitus detestari cogimur. Sed attende, quam nitida futura esset scriptionis forma, *per imperfectum, etiam quodammodo male consutum inconsequentiæ cursum.* Tu libere hoc dijudica. Ipsum hoc *insuere* habes ex Tuberone apud Gellium IV. 4. *Palpebras quoque ejus, ne connivere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant.* Ovidius 3. Art. *Nec prodite graves insuto vestibus auro.* Et notissimum *insuere culleo.*

CAPVT VIII.

Expulsus iterum cento ex tmemate nono, vulg. §. 10. *Indicis titulorum subtilitas.*

*Sed sufficiat per indices tantummodo & titulorum suptilitatem * quæ παρατιτλα nuncupantur * quædam admonitoria ejus facere, nullo ex interpretatione eorum vitio oriundo*] Quæ verba quum ut aliis summis viris, sic diu mihi etiam præbuerint causam considerandi, frequenter ab iisdem allegata non minus quam explicationibus illustrata; tum nunquam probare potui, cur & in editionibus & in allegationibus passim Græci characteres huc advocentur, quum iidem tamen in epistola tertia §. 17. exhibeant simul omnes, *& si qui forsitan per titulorum suptilitatem adnotare maluerint, & ea, quæ paratitla nuncupantur, componere.* Vnde hanc varietatem arcessunt? utrum ex prætorio Byzantino, an codice Mediceo? Atqui nulla hic talis culpa, & quicquid id est, exprobretur ipsorum levitati. Justinianus enim eam vocem Græcis literis non concepit. Nam si concepisset ita, ut illi volunt; in citato loco non dixisset simpliciter *quæ paratitla nuncupantur*, sed addito vocabulo, *quæ Græce paratitla nuncupan-*

cupantur & ipsam vocem Græcis literis formavisset, ut facit ibi in proxime antecedentibus, *quod Græci* ΚΑΤΑ ΠΟΔΑ *dicunt.* & in hac ipsa secunda epistola, *quæ Græco vocabulo* ΠΡΩΤα *nuncupatur.* Ibidem; *studiosos Græco & consueto quodam vocabulo* ΛΥΤαC *appellari.* Immo sic passim facit in Institutionibus, quæ loca non enotamus brevitatis ergo: sed tu modo inspice Gradus cognationum vel Societatem vel Obligationes ex delicto & alibi; unde luce clarius apparet nec Justinianum nec Tribonianum & Antecessores illos debuisse exigi ad mixturam hujus seculi. Hoc igitur primum cogitantes, si utique has voces huic etiam loco infigere voluerunt, æquum fuerat, ut eodem charactere nunc scripsissent, quo in tertia epistola, ubi & locum & characterem certum eis præbet fides optimæ membranæ, cujus sane tanta non est temeritas. Sed ex hoc ipso modo loquendi, quo Justinianum loqui probavimus, porro etiam constat per se satis ea verba non esse ejusdem Imperatoris soliti cautius loqui, sed alicujus horum doctorum. Jam vero accedit fides invicta ex testimonio libri Medicei, ubi plane absunt, & quid huic potuit obduci ab Taurello, ut adeo futilem spissationem præter verum & fas libro prælaturo titulum *Digestorum seu*

Pandectarum libri quinquaginta ex Florentinis Pandectis repræsentati inferere non erubesceret, acceptam non aliunde nisi ab audaci calamo Haloandri, qui hanc lectionem sic integram procudit. Sed nec hoc fine sistere possumus. Bene enim hactenus Taurellus, quod duntaxat indicia sui operis addiderit, & asterisis has voces signaverit. Aliud fœdius hic te, mi Lector, celant. Nam ne copulativæ quidem ante vocem *titulorum* ulla pars in manuscripto optimo exstat, sed continuo & fideliter *per indices tantummodo titulorum subtilitatem quædam* &c. An fas est, fidem Themidis! tantis involucris hæc radiantia quondam fastigia oblinere & tantum non conspurcare? Porro denique quum videamus Justinianum & hos principes Juridicæ reipublicæ viros in fine Institutionum scribere *summo digito & quasi per indicem ea tetigisse*, atque ita singulari hujus vocabuli numero contentos non pluralem adhibuisse; an dubitare possumus ab Imperatoria manu editum fuisse *per indicis tantummodo titulorum subtilitatem?* Videtur enim constructio per duos genitivos fuisse molestior, sed frustra. *Subtilitas indicis titulorum*, est, nuda, brevis & simplex recensio, annotatio, enumeratio titulorum, ex quibus simile aliquid & ad illam materiam, ad quam notatur,

tur, pertinens petitur & invenitur. Et sunt infinita fere, in quibus Florentinus manuscriptus e pro i expressit, multa a Taurello signata quæ apud eum videntur, & quædam omissa. Sic epist. I. *difficilema* pro *difficillima*. epist. 3. §. 8. *undeque* pro *undique*. paulo post *præstitit & bella feliciter agere*: ubi manuscriptus *præstitet & bella*. Eadem epist. §. 14. *decurret* pro *decurrit*. Etiam §. 8. epistolæ secundæ exhibebat codex optimus *pro non pro scripto eum habere disponente*, ubi vulgo edunt *haberi* sinistro judicio, idque satis condemnat epistola Græca.

CAPVT IX.

Tribus locis proponitur lectio Codicis Florentini. *Adjutoria. Tota auctorum volumina. Jugiter.*

Libeat his annectere quædam ut forsan non minora, sic tamen dubia, & nihilominus sic quoque digna, quæ publice innotescant. Dicit Imperator initio epist. I. *Ita nostros animos ad Dei omnipotentis eregimus adjutorium*. Infra volente Deo notabilibus & verissimis exemplis spectabimus, quam prona sit confusio litterarum a & u in hoc codice. Scire tamen refert hoc loco legi *adju-*

toriam. Non nos quidem lectioni & voci vulgatæ litem movemus ab omnibus cujusque ævi Latinis usurpatæ; sed hoc quærimus, an non Justinianus hac terminatione uti potuerit. Quam licet auctoritate aliorum tueri nequirem, sufficeret unica optimi codicis prætentura, munimentis aliis omnibus validior; & si tamen simile quid postulas, utique apud affines Justinianeo ævo occurrit sacra probatoria. Etsi enim ego patronum ignoti aut desueti vocabuli me non profitear; tamen liceat huc proferre, quod quamvis in leg. 6. §. 3. D. ad SC. Turpil. legatur *per notoria indicia prodere*, & in leg. 7. C. de accus. *notoriis insimulari*, tamen & Glossæ Vulcanii exhibeant *μήνυσις indicatio, notoria, indicium*, quod genus quamque terminationem extare apud Apulejum quoque novimus. Paulo post edunt §. 1. *& tot auctorum dispersa volumina uno codice indita ostendere.* Non sumus nimium superstitiosi, & novimus in Digestis Florentinis contingere, ut interim repetatur littera. Quum tamen hoc agamus, ut eorum auctoritas salva maneat, & an id quod exhibent, illæsum possit retineri & explicari, taceri inelegans duco illic legi *& tota auctorum.* Video, unde excitata sint fastidia aliter edentium, & secundam vocem amputantium; eximie nimirum unus Justi-

Justiniani codex opponitur tot auctorum dispersis voluminibus. Sed, quæso, an huic oppositioni non satisfit per ipsam numeri immutationem? immo an non pleniſſima ejus efficacia resident patetque in comparandis auctorum dispersis voluminibus ad unum suum codicem? tertio an non validiſſime Cæsaris sententiam nutumque exprimunt, uno codice indita volumina dispersa auctorum tota, hoc est, quæcunque in illis utilia appellari vel esse queunt; ut nihil residuum omissumque sit, ob quod eadem adhuc desiderari possint vel debeant, quum omnia, quæ restent, sint abrogata, vana & ad nullum usum conducibilia, ideoque nec scitu vel necessaria vel jucunda. Utique adhucdum nihil præmisit de multitudine auctorum, ut bellæ sequi exaggeratio per voculam *tot* possit. Utique paulo infra quoque ait §. 1. vulg. §. 3. *totam rem faciendam permiſimus*, pro quo deinceps, *ut tui vigilantiſſimi animi gubernatione res omnis celebretur*. Utique §. 3. vulg. §. 5. plane sic sequitur eodem sensu, *his quinquaginta libris totum jus antiquum per milleſimum & quadringenteſimum pæne annum confuſum, nihil extra se habeat.* epist. II. §. 9. *Optimo ordini in noſtris temporibus & hanc partem tradimus & toto poſtero transmittimus ſeculo*, eadem quoque ratione duobus

bus adjectivis conjunctis, ut in nostra lectione fit. Sequitur §. 2. vulg. §. 4. *Jubemus igitur vobis antiquorum prudentium* &c. *libros ad jus Romanum pertinentes & legere & elimare.* Per hæc quoque, Lector, crede tibi offerri non scripturam vetustissimi codicis, sed vel Taurelli vel aliorum concinnationem. Nam in illo clare legitur *jubemus jugetur vobis.* Quid? nonne ridiculum est, quum jam præcedente periodo scribat Justinianus, se totam rem Triboniano & electis faciendam permisisse, hoc est, vere tunc jussisse, tunc imperasse, quum illis permisit tantam rem, ut nunc denique dicat se *jubere igitur illis*, plane ac si nihil etiamdum jussisset? Quin potius pergit perstatque in eadem sive permissione sive jussione, & scripsisse Justinianum apparet *Jubemus jugiter vobis*, non nisi transpositione facta literæ e & male geminatæ lineæ in litera I, unde crevit U, ut factum epist. 3. §. 4. vulg. §. 7. *Bonorum possessionu Multitudinem*, quum manuscriptus *onus mult*, non dubie pro *onis*, & alibi.

CA-

CAPVT X.

Idem fit totidem locis. *Scibile. Lectio. Quam celerrimus.*

Sequitur §. 2. vulg. 4. *Nulla secundum quod possibile est neque similitudine neque discordia derelicta.* Hoc quidem satis constat passim gloriari Justinianum aut a se perfectum esse quod videbatur ἀδύνατον, aut si non penitus id ipsum perfecit, certe perveniſſe ad id quam proxime, ne videatur ejurare conditionem hominis. Et sic videri potest caute loqui nunc quoque, plane ut epist. III. §. 10. vulg. 14. imbecillitati humanæ, quæ naturaliter ineſt, hoc inscribendum censet, præfatus, quia omnium habere memoriam & penitus in nullo peccare divinitatis magis quam mortalitatis est. Sed non id quæritur, quid potuerit videri feciſſe, sed quid fecerit; quod unice decidere, ut nunc est, possumus sumto arbitrio fideliſſimi & antiquiſſimi voluminis, in quo planiſſime tantum legitur *secundum quod sibile est.* Cui homini inde datur ista licentia, ut in edicto Imperatorio rescribat id, quod non verentur tamen omnes, & quidem Juridici ac voluntatis Augustæ internuncii? Accedit, quod videatur Imperator ut plurimum non

usur-

usurpare vocem *possibilis* nisi addito casu tertio: ut epist. III. vulg. §. 1. *humanæ vero imbecillitati nullo modo possibile.* Supra §. 1. vulg. §. 2. *Res quidem nobis difficillima, immo magis impossibilis videbatur.* Nos certe nobis tantum non indulgemus, & credimus emanasse ab imperatorio tribunali, *secundum quod scibile est*, quo prorsus idem dicit, quod in principio *quod naturæ humanæ capacitate concluditur.* Denique in §. 6. vulg. §. 9. Imperatoris verba sunt *nisi forte vel propter divisionem vel propte Repletionem vel propter pleniorem indaginem hoc contigerit*, ut quidem edidit Taurellus, sed anili prorsus, hoc est, vana & stulta dilatatione loquendi. Quando enim non plenior indago est species repletionis? immo in hac sententia quid potest notare repletio nisi pleniorem indaginem? Indecentissime omnino Cæsarea hæc auspicia tam redduntur morbosa & lurida. Non si §. 4. vulg. §. 6. sic legatur, inde huic quoque verborum seriei id inculcari meruit. Et posset tamen Taurellus ferre tacitum ac impunitum, si sequutus fuisset ad amussim exemplar priscum. Sed in hoc clare legitur VEL PROPTE RLETIONEM. An dubitare possumus, quin princeps Juris nostri & otii ediderit *vel propter lectionem*, aut *electionem?* Electionem vel lectionem vocat,

cat, quoniam quum multa esset casuum in legibus & rerum cognatio, ut ait epist. III. §. 10. vulg. 14. lectio ejus in hoc titulo æque necessaria erat, quam in altero, atque adeo diversis titulis eadem lex applicari deberet, ut eligi ex ea sic posset, quod ad hunc titulum requirebatur, quo de agebatur. Sed præclare se confirmat ipse noster Augustus, & quid lectio valeat, docet epist. ead. §. 4. vulg. §. 7. *Quemadmodum & de adquisitione tam dominii quam possessionis & titulis qui eam inducunt, multæ & variæ lectiones uni sunt insertæ volumini.* Relegetur igitur ex imperii Romani reverentia futilis illa repletio æque procul ac huic contraria inductio, qua in eodem hoc Imperatorio diplomate usi sunt iidem religiosi homines in §. undecimo vel ultimo. *Hæc igitur omnia Deo placido facere tua prudentia una cum aliis viris facundissimis studeat, & tam subtili quam celerrimo fini tradere.* Sunt enim hæc postrema sic lectoribus apposita beneficio sed nimis adstricto editorum, quum in manuscripto legatur, *& tam suptili quamquam celerimo.* In quo illi quidem sequuti genium suum, sibi magis indulgentem, quam adstringentem ad dictata principis, præsertim quum veniæ patrocinium spondere illis viderentur similes loquutiones, ut epist. III. §. 2. vulg. §. 5.

omnia

omnia undique tam utilissima quam pulcherrima jura continentem. Non tamen propterea suo & posteriorum seculo eripere debebant id, quod majestas auspicii Cæsarei tot prioribus ætatibus donaverat, & quidem religiosis in eo custodiendo, ut exemplar illud nobile nos docet. Retinemus enim geminatam particulam, ut prior quidem respondeat præcedenti *tam*, posterior autem sit præpositio superlativi, etiam Justiniano non minus, quam aliis retro Latinis frequentata, & epist. III. §. 15. vulg. §. 19. similiter ait, *quæ vestris temporibus tam saluberrimum opus servavit.*

CAPVT XI.

Vulgatæ editiones replentur ex Florentino Manuscripto, in fine epistolæ primæ.

Antequam ad secundam epistolam progrediar, quemadmodum initio hujus epistolæ feci, ita & in ejusdem fine veritas & fides Florentini manuscripti apud omnes constet. Video enim ibi sive omen sive mandatum Imperatoris Justiniani, certe etiam huc propendeo ut credam ab ejus esse auctoritate. Nunc autem omnes editiones

id

id negligunt. Taurellus partem expreſſit, & ita ut neſcias ad Cæſarem Juſtinianum, an ad ſcribam referas; nam FELICITER interpretamur, ut Imperator vel ſcriba ſano corpore, tempore proſpero, rebus florentibus hanc epiſtolam ediderit vel exaraverit. Sic in fine epiſtolæ tertiæ FELICITER; & poſt conſummationem cujuſque libri Pandectarum. Quod & in aliis manuſcriptis libenter vidimus & agnovimus inde felix auſpicium vetuſti & ſinceri calami. Sed vix credendum in principio ſacrati hujus voluminis quidquam legi, quod non ab ipſo Auguſto provenerit, & ex ejus mandato adpoſitum; & utcumque ſit, puto induſtriæ teſtimonium me habiturum, ſi nuda verba Medicei manuſcripti deſcribam, nec enim alium in finem hanc collationem inſtitui. Habet itaque incomparabilis liber LEGE FELICITER. Ex titulo hujus epiſtolæ apparet ad Tribonianum eſſe directam; ſed ex ipſis verbis & paſſim ex ſententia, non tam Triboniani quam omnium aliorum Prudentium cauſam hic agi. Nihili eſt, quod ſingulari numero hic utitur, nam ſubintelligi poteſt, lector quiſquis es: in epiſtola autem plurali. Immo ulterius hoc votum ſe extendit, quam ad ſolum Tribonianum aut ejus

ſocios, & ut major eſſet auctorita , neque facile in contemptum abiret, aut attentius adverterent ortum, modum & progreſſum Digeſtorum, voluiſſe videtur, ut memores eſſent hujus epiſtolæ; quippe utilis & jucundæ Sapientibus.

CAPVT XII.

Sententia & manus Juſtiniani reparatur in principio epiſt. II.

*Et omnia quidem quæ oportuerat & ab initio mandare, & poſt omnium conſummationem, factum libenter admittentes definire, jam per noſtras orationes tam Græca lingua quam Romanorum, quas æternas fieri optamus, explicita *ſunt *]* Non intelligimus profecto, quas cauſas habuerint viri docti, ut his verbum ſubſtantivum adjicerent prorſus ex ipſorum indecoro & non admittendo (etſi fiat ab editionibus) munere, ut pote & ditiores & loquaciores ipſo Cæſare. Sive enim omittatur relictis omnibus prout nunc habentur & ſervato ſenſu, quem illis imponunt, quidni percommode id tacitum intelligere licet, quod toties ſit etiam in optimis Latinæ linguæ auctoribus ? Sed longe melius omittitur, & longe melius mutatur diſtinctio, mu-

mutanda videlicet in notam interrogationis; quum clare constet dependere omnia a præcedentibus illis *quis amplius quam vos cognoscit*? Nimirum testatur vel interrogando declarat eos conscios esse non modo Institutionum & Digestorum & Codicis compositorum, sed etiam nosse rationem præcedentis sui mandati & post perfectionem confirmantium suarum orationum. Ipse plane id videbis inceptum, Lector, modo, ut dixi, deleto τῷ *sunt*, voci *explicita* interrogationem subnectas. Sed nec in sequentibus ferri debet aliena mantissa. *Sed cum vos * & omnes postea * professores legitimæ scientiæ constitutos etiam hoc oportuerat scire, quid & in quibus temporibus tradi necessarium studiosis credimus.* Haloander adjecit hæc verba, *& omnes postea:* nam in Florentino manuscripto desunt; neque bene ponuntur hoc loco. Nam Justinianus alloquitur eos quos in titulo epistolæ nominavit, non alios, ut paulo ante, *quis amplius quam vos agnoscit*? Confunduntur hic tempora præterita & futura: & aspera phrasis est, *& omnes postea constitutos.* Satis est reliquos nominari paulo post: *quatenus tam prudentia vestra, quam ceteri antecessores, qui eandem artem in omne ævum exercere maluerint, nostris regulis observatis, inclutam viam eruditionis legitimæ possint ambulare.*

CAPVT XIII.

Manuscriptus Florentinus defenditur ibidem. *Quæ scientia!*

Itaque dubio procul quidem est, necesse esse institutiones in omnibus studiis primum sibi vindicare locum utpote prima vestigia quius scientiæ mediocriter tradentes] Taurellus ad vocem *cujus* in margine notavit *cujusque:* quod receperat Haloander. Gothofredus vulgavit *ejus.* Sed hoc abeat ad auctorem suum. Distinctio Taurelli nullius est momenti, siquidem in Florentino manuscripto nulla apparet: & hoc loco putamus lectionem Florentini manuscripti, quam confirmat alius manuscriptus Florentiæ ad Sanctæ Crucis, distinctione juvari; hoc est, signo exclamationis, hoc modo: *Itaque dubio procul quidem est necesse esse* (quod tamen verbum substantivum omittetur rectius, & forsan est tantum ab repetitione calami) *institutiones in omnibus studiis primum sibi vindicare locum, ut pote prima vestigia cujus scientiæ mediocriter tradentes! Cujus,* id est, quantæ, qualis, ut epist. 3. §. 9. vulg. 12. *quanta confusione & infinitate absoluti in quam moderationem & legitimam veritatem pervenerunt?* Et sic sæpius tam in Digestis quam apud alios Lati-

Latinos auctores. Ne dicam esse quoque valde familiare hoc signum exclamationis Jureconsultis. Supra initio hujus epist. *quis amplius quam vos cognoscit?* & §. 9. *Quis enim ludos appellet eos, ex quibus crimina oriuntur?* epist. 1. §. 5. vulg. §. 7. *quid possit antiquitas nostris legibus abrogare?* epist. 3. §. 17. vulg. 21. *Quemadmodum posteritatis admittatur vana discordia?* l. 1. de Orig. Jur. *Quanto magis interpretationem promittentibus inconveniens erit omissis initiis atque origine non repetita atque illotis, ut ita dixerim, manibus protinus materiam interpretationis tractare?* Qui emendant *cujusque*, quid respondebunt ad *mediocriter tradentes?* quæ Justinianus de aliorum Institutionibus non potest dicere: cum erunt auctores, quorum liber, quem Institutiones vocarunt, non mediocriter, sed etiam plene & ad fastidium usque omnia præcepta artis tradet: non aliter quam hodie videmus in commentatoribus ad Institutiones, qui commentarios suos tanta multitudine ac varietate rerum onerant ex Digestis, Codice & Forensi jure, ut lectores suos stupidiores & incertiores, quam fuere, dimittant. Recte autem Justinianus institutiones suas vocat *vestigia scientiæ mediocriter tradentes*, ut in §. 4. procemio Institut. *totius legitimæ scientiæ prima elementa.* Ita nos hunc locum concipi-

mus. Quia tamen posset videri Justinianus generaliter agere de omnibus scientiis, atque etiam sciamus accidisse, ut epist 3. §. 7. vulg. §. 10. in his, *Nominibus enim veteribus relictis quidquid legum veritati decorum & necessarium fuerat, hoc nostris emendationibus servavimus,* omissum esse ab prisco scriba alterum *quid* in voce quinta; ideo non tacebimus occurrisse menti etiam nostræ, an idem nunc admissum esse potuisset, scripsissetque Cæsar : *prima vestigia cujus cujus scientiæ.* Notum satis est, ut illud pronomen apud omnes Latinos usurpetur.

CAPVT XIV.

Immerito stellulæ vocabulo circumdatæ delentur tmemate I. epist. II. De alio manuscripti loco consultum. *Viam aperire.*

*Post eorum vero lectionem, neque illam continuam, sed particularem, & ex magna parte inutilem constitutam, tituli alii eis tradebantur tam ex illa parte legum quæ de judiciis nuncupatur, & ipsis * non * continuam sed raram utilium recitationem præbentibus, quasi cetero toto volumine inutili constituto*] Melius hæc vulgavit Haloander, quam Taurellus, qui

qui illud *non* inter duo signa notat, creditque in Florentino manuscripto adsutum esse. Intendi aciem oculorum, & non potui aliter judicare, quin sit ab eadem antiquissima manu scriptum, unde cætera. Est quidem in fine versus exaratum, sed non procul excurrit. Et ipse sensus hoc postulat. Leges de judiciis præbebant eis raram utilium recitationem & non continuam, quo pejus erant isti tituli collecti: & ideo subjungit, *quasi cetero toto volumine inutili constituto.* Ne ergo in posterum dubitemus levare libros falso illo onere stellularum aut similium signorum hoc in loco. Eodem §. *Et ad sublimissimum Papinianum, ejusque responsa iter * eis * aperiebatur.* Temeritas est Taurelli, qui vult & non vult lectionem Florentini manuscripti hoc loco exhibere. Verum est *eis* ab aliena manu esse, & potest expelli: sed & *iter* ab eadem manu est. Haloander olim has duas voces admiserat, sed nos respicimus consuetudinem Florentini manuscripti: & quoniam præcedit & sequitur *a* in vocibus *responsa aperiebatur*, verius puto admitti *via:* quod non rarum in illo manuscripto, ut, cum eadem littera sæpius duplicatur, nonnunquam in spongiam incidat. Lego itaque, *ejusque responsa via*

aperiebatur. epist. 2. princ. *inclutam viam eruditionis legitimæ possint ambulare*, quo sensu ibidem dicebat tramites per quos ambulandum est. fine hujus epist. *Incipite igitur legum doctrinam eis Dei gubernatione tradere, & viam aperire quam nos invenimus.* Proœmio Instit. §. 1. *Quorum utramque viam cum summis vigiliis summaque providentia annuente Deo perfecimus;* quo etiam in libro aliquoties sic scribit, quæ ut pote omnibus patentia relinquimus, sperantes majorem nos inire gratiam, si huc adducamus locum, qui ab ingenioſi lectoris observatione per editorum, reor, invidiam vel arrogantiam absconditus & secretus in tenebris jacet, epist. III. §. 12. vulg. §. 16. ubi has voces publico proponunt velut ex sacrario ipso codicis Florentini. *Quod multis inutilibus permixtum nullam sui ad eruendum præbuit copiam.* Hæc quum prima fronte videantur tam sincera, ut vel suspicionem omnem graventur; tum scias, mi Lector, in manuscripto quem reveremur manifeste pro voce ultima legi PROPRIam. Non quæro, an probandus sit tacitus aliorum conatus; sit mihi licitum hic scisscere non ita abituros nos ab hac fideliſſima manu, si legamus *nullam sui ad eruendum præbuit prope viam.*

CA-

CAPVT XV.

Purificata oratio Justiniani ab otioso verbo, epist. 2 §. 2.

*In reliquam vero anni partem secundum optimam consequentiam primam legum partem eis tradi sancimus, quæ Græco vocabulo πρῶτα nuncupatur, qua nihil est anterius: quia quod primum est, aliud ante se habere non potest: & hæc eis exordium & finem eruditionis primi anni esse decernimus. *Cujus* auditores non volumus vetere tam frivolo quam ridiculo cognomine Dupondios appellari*] Hæc ita fideliter expressit Taurellus: nam verum est illud *cujus* aliena manu in Florentino exemplari suprascribi, & bene hanc extraneam scripturam significavit duabus stellulis. Ante Taurellum tamen Haloander *cujus* recepit in contextum, quasi in manuscripto vera & non seræ aliorum manui imputanda vox esset. Hunc reliqui editores sequuti sunt omnes, quos in hunc diem consulimus. At libet inquirere illud *cujus*, ad quod antecedens referatur. Nam præcedunt, *primam partem legum* &c. πρῶτα &c. *hæc eis exordium* &c. Si ad *primam partem*, non video, cur dicat Justinianus *hæc eis exordium* &c. Si ad πρῶτα, omnia

recte se habebunt excepto numero, qui sine dubio mutandus est: nec potest aliter ferri; nam illud *cujus*, quoniam *hæc* ad proximum antecedens πρῶτα respiciunt, etiam similiter illuc referri debet. Novimus nonnunquam hoc relativum referri non ad posterius, sed ad prius antecedens, sed tum aliud pronomen non intercedit, quod sequens relativum in suas partes trahit, uti hic. Quis unquam putasset Justiniano objectum iri tantam ignaviam & socordiam a tot editoribus & tot per secula? Quicunque non delectatur calumniis, aut aliquem fructum ex Juris & Justitiæ templo tam celebri & splendido, quod Justinianus consummavit (nam cæteri Imperatores desperabant) consequutus est, eum rogo æquius de tam docto Imperatore sentiat, nec recipiat *cujus* vel *quorum*, antequam certior sit, unde proveniat id, quippe non necessarium. Nam si legatur, *decernimus. Auditores non volumus*, &c. quemadmodum etiam manuscriptus Florentinus, certe lectio sana erit, et satis intelligentur, qui auditores hic Dupondii appellantur. Sic malo more adjecit Taurellus ad epist. 3. §. 15. vulg. 19. minime necessariam orationi conjunctionem *quia*, quæ erat in Florentino manuscripto alia manu supra-

prapoſita: eoque inhoneſtius ſe geſſit, quod noluerit hic adhibere notas ſuas aſteriſcorum, quibus recentius addita per neſcio quos notare & ab antiqui librarii manu ſolet diſtinguere: verba ſunt *quia omne, quod hic poſitum eſt hoc unicum & ſolum obſervari cenſemus. Nec in judicio* &c. ubi legendum: *Omne quod hic poſitum eſt hoc unicum & ſolum obſervari cenſemus. Nec in judicio* &c.

CAPVT XVI.

Reſtituta lectio Codicis Florentini epiſt. 2. §. 4. *Actiones miniſtræ emptionum.*

Cum enim quæ pro emptionibus & venditionibus legibus cauta ſunt, in libris de rebus præfulgent: hæ autem omnes quas diximus definitiones in ultima parte prioris edicti fuerunt poſitæ: neceſſario eas in anteriorem locum tranſtulimus, ne a venditionibus, quarum quaſi miniſtræ ſunt, vicinitate ulterius devagentur] Hæc Taurellus, hæc Contius, hæc omnes editores vulgarunt. Haloander tamen: *Quaſi miniſtræ ſunt & vicinæ:* quod Ruſſardus & Charondas in margine adjiciunt. De Taurello miror; nam & manuſcriptus Flo-

Florentinus & ipsum jus eum aliter docent, cujus quam attenti fuerint reliqui editores paulo post constabit. In Florentino manuscripto *quasi* suprapositum est alia manu, quam ideo non curamus. Est quidem epist. III. §. 2. *& prædictæ actiones quasi pedissequæ illarum ab initio processerunt.* Sed clare constat ibi eum uti voce translata ab proprietatis suæ domicilio, quæ conjunctioni isti locum optime præbet. Id nunc non ita facit in voce *ministræ*, quæ est latissima & generalissima. Ministræ sunt venditionum, Edictum Aedilium, Redhibitoria Actio, Evictiones nec non duplæ stipulationes, de quibus hic fermo: & quomodo? Nempe Edicto Aedilium propter rem venditam tenetur venditor emptori. Redhibitoria actione propter rem venditam tenetur venditor emptori, itidem duplæ stipulationibus & Evictione. Adeo ut Emptio & venditio nisi præcesserint, inanes sint hæ actiones & ipso jure nullæ. Id si observassent Editores, profecto nos monuissent alicujus scrupuli. Nam nec sunt, nec possunt esse quasi ministræ venditionum emptionumque, sed omnino sunt & fuerunt semper veræ earum ministræ hæ actiones. Quasi ministra supponit simulationem, imaginem, fictionem quandam:

Sic

Sic novimus obligationes quæ ex contractu, & quæ quasi ex contractu nasci videntur. Obligationes quæ ex delicto & quæ quasi ex delicto &c. Sed hæ actiones nec simulantur, nec videntur, nec finguntur ministræ venditionum emptionumque, sed ita sunt, ut non possint aliter existere nisi præiverit Emptio. Non Apollinis oraculum magis verum quam hoc est. Ministræ sunt, hoc est, comites, satellites, & de cohorte, ut ita loquar, Emptionum & venditionum, quæ anteceſſerunt. Sic Cicero I. de Orat. 17. *Tua autem fuit ratio ejusmodi, non ut ullam artem doctrinamve contemneres, sed ut omnes comites ac ministras oratoris esse diceres.* & lib. I. Offic. c. 42. *Minimeque artes hæ probandæ, quæ ministræ sunt voluptatum.* Hoc est, quæ comitantur, quæ sequuntur voluptates. Apparet ob laxum significationis spatium non addi voculam *quasi*. Nec aliter epistola Græca: ἔστι δὲ ἡ ædilicion ἠδικτον, ἡ ἡ περὶ τῶν ἐκνικήσεων ἐπερώτησις, ἅπερ ἀμφω παρακολουθήματα μὲν καθεζῶτα τῶν πράσεων: πόρρω δέ πω τῆς νομοθεσίας ἀπωκισμένα, συνηγάγομεν ἔγγυθεν διὰ τὴν πρὸς ἄλληλα συγγένειαν, ἵνα τὰ περὶ τῶν αὐτῶν διαλεγόμενα μὴ πορρω διεσήκοιεν ἀλλήλων. *Ministræ παρακολουθήματα*, sequelæ. Non aliter epist.

3. §. 2

3. §. 2. vulg. 5. *Alio libro eodem inserto volumine, qui ædilicium edictum & redhibitoriam actionem & duplæ stipulationem, quæ de evictionibus proposita est, continet: quia hæc omnia titulis emptionum & venditionum consentanea sunt.* Itaque vereamur posthac ita esse præcipites, ut antecedentem gregem errantem instar ovium sequamur.

CAPVT XVII.

Servata scripti codicis lectio epist. 2. §. 7. *Berytiorum* vel *Berytieum.*

Hæc autem tria volumina a nobis composita tradi eis tam in regiis urbibus, quam in Berytiensium pulcherrima civitate, quam & legum nutricem bene quis appellet, tantummodo volumus quod jam & a retro principibus constitutum est] Florentinus manuscriptus legit *Beryticum.* Noli objicere, quid inde colligam. Res ipsa ostendit, non licuisse cuiquam editori tantopere extensam proponere hujus vocabuli caudam, quam ex fide ejus manuscripti concludere debemus ab Imperatore fuisse contractissimam, qualiscumque fuerit. Certe etsi infra alibique Bery-

Berytienſes ſalutentur & ab Juſtiniano & ab aliis incolæ iſtius oppidi; tamen ad ſcripturam veterem propius appropinquari potuiſſet, ſi ab aliis adſumſiſſent Berytiorum ἐθνικόν. Neque enim Stephanus, ut volunt, ipſius hujus Juſtiniani ſubjectus, dubitavit ſimpliciter ſcribere a Berytο ὁ πολίτης βηρύτιος, ὡς Ἀζώτιος, Αἰγύπτιος, & ex Latinis Suetonio vocatur *M. Valerius Probus Berytius.* Hoc igitur aut retineri debuit, aut ut adhuc propius ad lineas veteres accedatur, corripi potuit in *Berytium*, in quo ſane minimum fuiſſet ſcrupuli. Sed nos ne ſic quidem diſcedendum putamus, quum neceſſum non videatur vel latum unguem ab fideliſſimo calamo diſcedere: & quum Juſtinianus hoc ethnico non utatur, ſed ſemper vocet Berytienſes, in eo ipſo manere ſatius cenſentes legimus *Berytieum*, quod idem eſt τῷ *Berytienſium*, ἀπὸ τῦ βηρυτιεὺς nempe genitivus pluralis βηρυτιέων. Neque hic opponas oportet, cur in ſequentibus exhibeatur ipſum *Berytienſium*? varietas enim hæc antiquorum procedit ultra quam ut ſingulorum ratio a nobis peti vel dari poſſit. Livius I. 10. quum præmiſiſſet *Cæninenſes*, *Cæninenſium*, tamen mox ſubjicit in ſequente prorſus verſu *nomen Cæninum*, quum

quum potuisset omnino nomen *Cæninense*. Notum satis, quos ludos moverint librarii in illis *Ramnes*, *Titienses*, de quibus pater ad Livium X. 6. Sed quod præcipue inde huc spectat, video illic allegari Varronem ex libro IV. duobus locis sat vicinis, quorum in altero est, *singulæ tribus Tatiensium*, *Ramnium*, *Lucerum*, *millia singula militum mittebant;* in altero, *terni ex tribus tribubus Ramnium*, *Lucerum*, *Tatiensium olim ad exercitum mittebantur :* & hic locus præcedit, ubi in margine Varronis notatur, *Tatium* esse in aliis membranis, & *Tatium* citare maluit Lipsius II. mil. Rom. dialog. 9. prorsus eodem fato, quod in hoc loco versatur.

CAPVT XVIII.

Præpositiones frequenter omissæ ab Justiniano.

Ejusdem secundæ epistolæ eadem parte legimus. *Quæ * a * majoribus tale non meruerint privilegium.* Exiguum quid advertis hic occurrere, sed quod & ipsum præteriri ac negligi non debet, ac forsan occasionem nobis ad exhibendam inde majoris pretii

pretii materiem attrahemus; immo etiam prorsus ut abigamus illud Chrysostomianum a nobis οὐδὲν παρὰ τοῦτο. Itaque audemus confiteri præpositionem huic loco inditam venire ex alieni calami superscriptione; ita ut ferri non debeat, utpote spuria nec ab palatio Cæsareo progressa. Est autem id proprium Justiniani, negligere sæpe illas particulas. Sic epist. 1. init. *primum nobis studium fuit sacratissimis retro principibus initium sumere*, ubi si tenacior hujus particulæ Cæsar fuisset, vel ad ambiguitatem evitandam apponere debuit. Sic epist. 3. §. 2. vulg. §. 5. *Ut non pigneraticia actione in libris de rebus posita multum distarent.* Ejusdem epist. §. 5. vulg. §. 8. *Liber autem singularis pro appellationibus nobis excogitatus est.* Hinc prorsus seditionem sapit, quod ead. epist. §. 7. vulg. §. 10. *Tanta autem a nobis antiquitati habita est reverentia*, quum & ibi præpositio peregrinum habeat auctorem; & cui bono futurum potuit existimare Taurellus, ut quum toties similiter loquatur Princeps, illic & stellis & charactere uno editionem suam insigniret? Hinc omnino pro indecoro contemplor, quod tentant epist. I. §. 5. vulg. 7. *Ut etsi aliter fuerant apud veteres conscripta, in contrarium autem inpositione inveniantur.* Quo non placatus Taurellus margini allinit, ut

pro *inpositione* velit *in compositione*. Sed *ponere* & *imponere* eodem sensu tam frequens est in his Cæsareis orationibus; ut longe securius vel *in positione* retinere possimus, vel una voce & omissa ad modum quem tractamus præpositione *inpositione* scribere. Et est ipsum apud Petronium cap. 89. *Verbaque codicillis talia imposui.* Neque sane desiderari debere firmius fundamentum puto ad probandam codicis Medicei auctoritatem in parte 8. hujus epist. ubi Haloander edidit *pro nihilo eum habebit, nemine judice ex tali libro fieri recitationem concedente, sed pro non scripto eum haberi disponente,* quod & Batava editio recepit, quum in manuscripto tantum sit *nihilo eum habebit* &c, *sed pro non proscripto eum habere disponente*, ut ediderunt Taurellus, Russardus, Charondas, Contius, Gothofredus. In quo equidem favorabilis videri posset Haloandri trajectio voculæ *pro*, nisi & sanctitas libri veterrimi intercederet, & Græca Justiniani epistola, quæ ferme per voces singulas ex Latino vertendas progreditur, nobis persuaderet in eis tribus litteris aliud abscondi, ὥσε αὐτὸς μὲν τὸ βιβλίον ἀντὶ μηδὲ γεγραμμένυ παντελῶς ἔξει, quodcunque etiam illud sit, & fortasse fuerit, *pro non prorsus scripto.* Nam illud *nihilo habere* itidem dicitur omissa præpositione

tione, ut Livio & Justino & aliis *magna cura habere*, apud Tacitum lib. III. annal. *militia disciplinaque nostra habebatur.*

CAPVT XIX.

Indicata & defensa vetus scriptura, hactenus & suppressa & contempta epist 2. eodem §. *Quot.*

Quia audivimus etiam in Alexandrina splendidissima civitate, & in Cæsarienſium, & in aliis, quosdam imperitos homines devagare, & doctrinam discipulis adulterinam tradere] Male egit Taurellus, quod lectionem Florentini manuscripti celaverit, unde magna hic cæcitas, adeo ut Haloander unus legat *jam* pro voce tertia. Reliqui magis impetum edendi incondite foventes, quam præsidia tanto negotio decora aptaque aucupati, inconsulte sequuntur Taurellum, ut bene rei gestæ speciosum laudandumque. Sed non debuerunt lente & remisse agere & ante omnia fastidito Florentini manuscripti usu, præsertim in loco, cui litem moveri & lectionis ambiguitatem inuri ab Haloandro noverant, & hinc in posteritatem fluctua-

turæ, nisi sedulitas optimi codicis eam stabiliverit. Quid autem ? Videlicet vetat Justinianus aliis locis quam Romæ novæ & veteris & Beryti jus docere, ideoque edicit hunc in modum. *Quia audivimus quot jam in Alexandrina splendidissima civitate & in Cæsariensium & in aliis quosdam imperitos homines* &c. Sic enim, quod mireris profecto, ut miratus ipse fui, planissime in Florentino exemplari legitur, idque sancte ac religiose observandum reor & in editionibus posthac exprimendum, illo commate post *aliis* omisso, quod male hic fixum est. Mens Justiniani est, audivimus plurimos legum nostrarum interpretes morari in Alexandrina pulcherrima civitate : & Cæsariensium: & in aliis quosdam. Bene quidem opponit in dictis duabus civitatibus copiam & multitudinem doctorum τῷ *quosdam* in aliis non tam celebribus & minus frequentibus. *Quot* enim notat quam multos, plurimos. Decepit editores illa ipsa vox, quæ solet per interrogationem poni: aut secum trahere *tot*. Verum aliter hic doceat Florentinus manuscriptus & Propertius II. 29.

Obvia nescio quot pueri mihi turba minuta
Venerat.

Idem

Idem me parens docuit I. 4. Observationum, ubi explicat locum corruptum Plinii II. 68. *quota terrarum parte gaudeat;* ubi vulgo interrogatio ponitur: qui & in schedis annotavit alterum ex eodem locum III. 5. *Ipsi de ea judicavere Græci, genus in gloriam suam effusissimum, quotam partem ex ex eo appellando Græciam Magnam.*

CAPVT XX.

Defenditur scriptura vetus, cui litem faciunt initio epist. III. *Viri illustres. Prudentissimi juris.*

Ut ipse una cum aliis viris illustribus & prudentissimis viris nostrum desiderium adimpleret] Ita Taurellus & omnes alii eum sequuti ediderunt adjecto signo τῶ primo *viris* quasi abundaret: quod verbum Haloander jam ante ejecerat. Sed primo loco *viris* non abundat: nam usitatus & perpetuus sermo est Justiniani *viri illustres*, &c. In hac epistola: *Constantinum virum illustrem comitem sacrarum largitionum*, &c. Ibid. *nec non Theophilum virum illustrem, magistrum jurisque peritum.* Ibid. *Dorotheum virum*

* *virum* * *illustrem & facundissimum quæstorem.* Ubi vidimus *virum* aliena manu in Florentino codice suprascriptum, sed magna cum specie a Taurello admissum, nisi quod tamen ab vero non abhorreat potuisse ab Justiniano eodem, qui toties aliter loquitur, illo in loco vocem eam omitti. Ergone hic recipiemus *virum*, & in superioribus verbis *viris* ejiciemus? procul hæc levitas: melior medicina dabitur. Ibid. *Cratinum virum illustrem & comitem sacrarum largitionum & optimum antecessorem.* Ibid. *Viris illustribus & facundissimis antecessoribus.* Procœmio Instit. §. 3. *Viris illustribus & antecessoribus* §. seq. *nec non cæteros viros illustres & facundissimns.* L. 61. C. de decur. *nec non Dorotheum virum illustrem* &c. Quare vix contineo manus ut inscriptioni epistolæ secundæ non adjiciam &, ubi nunc vulgo legitur : *viris illustribus antecessoribus.* Vidi etiam Florentiæ alium manuscriptum ad sanctæ Crucis, qui legebat, *& antecessoribus.* Cæterum pro *prudentissimis viris* hoc loco legendum *prudentissimis juris.* Ea fere nulla litterarum mutatio est ; retineo enim eosdem ductus litterarum Florentini manuscripti, in quo legitur IIIRIS, & nunquam super jota figitur punctum ; adeo ut punctum ponatur supra primam an tertiam

tiam lineam, in noſtro ſit arbitrio: & ſi punctum ponatur ſupra primam, omnia ſarta, quæ in hunc diem laborant. Similem errorem animadvertit Anton. Auguſtinus lib. I. Emend. c. 2. ad l. 7. §. 1. de except. *quod ſi deceptus ſit in re*, ubi alios dicit legere *jure*. Prudentiſſimi juris ſunt Anteceſſores, Juriſconſulti, qui & ſimpliciter prudentiſſimi, prudentes & σοφοὶ proprie appellantur. Hac epiſt. §. 6. vulg. 9. *per virum excelſum, nec non prudentiſſimum magiſtrum, exquæſtore & exconſule Tribonianum.* In eodem §. *viris prudentiſſimis qui patroni quidem ſunt cauſarum* &c. Cicero pro Cæcina c. 28. *cum contra eum prudentiſſimus homo Q. Mucius diceret.* Hac epiſt. §. 18. vulg. 22. *omnia enim, id eſt & nomina prudentium, & titulos, & librorum numeros, per conſequentias litterarum volumus* &c. *manifeſtari.* l. 7. de Juſt. & Jure. *Jus autem civile eſt, quod ex legibus, plebiſcitis, Senatuſconſultis, decretis principum, auctoritate prudentium venit.* Sic Juriſperitiſſimus, Juriſperitus, & ſimpliciter peritiſſimus & peritus dicitur.

CAPVT XXI.

Tollitur ex manuscripto Florentino ambiguitas, utrum fœminini generis vox sit *pandecta*, an virilis.

Nomenque libris imposuimus digestorum seu pandectarum: qui omnes disputationes & decisiones in se habent legitimas] Supra voculam *qui* adjunxit nova manus literam *a*, quod Taurellus in margine ponit. Haloander autem in contextu *quia*. Ex hoc loco videtur nata illa dubitatio, *Pandectæ* masculini an fœminini generis vocabulum sit. Novi maximam partem doctissimorum hominum fœmininum sequutos. Et ne falsus videar, operæ erit retulisse verba Christiani Becmanni in Schediasmate philologico pag. 36. edit. Hanov. 1619. „Pandectæ cujus generis re vera sit, etiam „analogia monstraverit. Henr. Stephanus, „cui hodie animam literæ Græcæ debent, „masculinum esse vult, & addit: Quo„modo Græci πανδέκται βίβλοι dixerint, „vel potius, an dixerint, (cum βίβλοι fœ„mininum sit & πανδέκται masculinum a „πανδέκτης) lectoribus disquirendum re„lin-

„linquo. Hæc ille. Stephanus igitur &
„huic ὁμόψηφοι sic colligunt : πανδέκτης
„Græcorum est masculinum, ergo etiam
„*pandecta* Latinorum. At nihil conclu-
„ditur ; quia major subintellecta qui-
„dem claudicat. Nam multa sunt deri-
„vata & deducta, quæ genera suarum o-
„riginum non retinent ; ut hæc domus,
„ὁ δόμος. *hoc vinum*, ὁ φοῖνος : *hoc glauco-*
„*ma* & *hæc glaucoma* apud Plautum, τὰ
„γλάυκωμα. Neque etiam analogia hæc
„quadrat : ut ab ὑποκριτὴς hypocrita ;
„a πειράτης *pirata* ; sic a πανδέκτης pan-
„decta, quod masculinum erit ut illa.
„Nam ratio longe dissimilis. Illa enim
„personam, pandecta vero rem notat, ut
„quæ omnia contineat a πᾶν & δέχεσθαι.
„Potius ita inferendum ex analogia. Ut
„a μαργαρίτης, *margarita* & *margaritum* : a
„καταῤῥάκτης, *catarracta* vel *cataracta* : a
„μετρητὴς, *metreta*, ita a πανδέκτης *pan-*
„*decta* formabitur : jam ut *margarita*, *cata-*
„*racta*, *metreta*, nemine repugnante fæmi-
„nina sunt ; etiam tale oportet *pandectam*
„esse. Neque illa ἔνστασις obsistit : quod
„κομήτης masculinum sit. Nam & hoc
„primitus significat personam, id est, *co-*
„*matus*, *crinitus*. Postea est ἀστὴρ in sub-
„limi, qui nobis e longinquo quasi crini-

 „tus

„tus apparet. Sicuti & idem πωγονίας & „κεφατίας & ξιφίας simili metaphora di- „citur. Noſtram quoque ſententiam au- „ctoritas munit Juſtiniani Imper. lib. I. In- „ſtitut. tit. 10. de nuptiis ſub finem : *in „libris digeſtorum ſeu pandectarum ex jure „veteri collectarum enumerari permiſimus.* „Cujacius : mutilæ ſunt Pandectæ Flo- „rentinæ : Obſerv. lib. X. c. 18. lib. XI. c. 1. „lib. XII. c. 8. Quamvis idem & in ma- „ſculino genere pandectas alibi ponat. „Juſtus Lipſius ſtella ævo hoc noſtro „Latinitatis, centur. miſcell. epiſt. 39. ut „alios omittam, *exſtant nobiles illæ pande- „ctæ Etruſcæ a Juſtiniani ævo.* Sic etiam „Auſonius Popma utitur & multi alii.„ Auctoritatem Juſtiniani in citato titulo de nuptiis ſæpius inquiſivi, & dubitare me fecit manuſcriptus membranaceus Florentinus ad Sanctæ Crucis 3 qui palam legit *collectorum.* Rediens ex Italia per Galliam Pariſiis moleſtus fui de ea re Ampliſſimo & Eruditiſſimo Stephano Baluſio Colbertinæ Bibliothecæ præfecto digniſſimo, & cui plurimum debere & literas omnes & me facile agnoſco. Hic mihi monſtravit manuſcriptum in Bibliotheca iſta refertiſſima optimorum librorum num. 530, qui etiam legit *collectorum* in

§. 11.

§. 11. Institut. de nuptiis. Hos manuscriptos si lustrassent Clarissimi illi Viri, aut si scivissent, manuscriptos variare in Institutionibus & attendissent in epistola III. de Confirmatione Digestorum optimum Florentinum manuscriptum legere *qui*, non *quia* ; certe amplius deliberassent in *pandecta* fœminini genere enunciando. Ego utique non sollicitor de veritate Florentini manuscripti. Immo ut de re aliquid addamus, nos censemus merito dubitare H. Stephanum, an dixerint παυδέκται βίβλοι : quidni enim intelligantur ipsi παυδέκται χάρται ? Ratiocinatio autem Becmanni vel potius negatio conclusionis ab eo contra Stephanum facta ut per incertas exemplorum subjectorum species confirmari videtur; ita non minus infirmat sententiam, quam ipse inde colligit. Sunt multa talia non retinentia genus suarum originum; nisi auctoritas certa præeat, ad pandecten id applicari nequit. Dolosum vero est credere a Pandecta rem notari. Παυδέκτης notat rem, sed in translata usurpatione, non in primigenia significatione, in qua haud dubie non nisi de viro sumpta fuit, quum non potuerit ut μαργαρίτης, κατα-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1844784568/phys_0111
DFG

ταῤῥάκτης, μετρητὴς rem notare, neque etiamnum notet: nullaque res est, quæ ex se appellationem habere πᾶν δεχομένη possit, sed per translationem, estque prorsus ad instar κομήτης. Usurpationes hodiernorum licet doctissimorum virorum præstare nostrum non est. Sed de viro eam vocem sumi, quod importune negare ausus est Becmannus, sine exceptione nos affirmatum imus ex præclaro loco Synesii epist. 100. Ἐπιστολὴν δὲ ἐξ εὐθείας πρὸς αὐτὸν ἐπιθεῖναι, ἢ τοὶ προθυμηθεὶς ἐνάρκησα, ἵνα μὴ εὐθύνας ὑπόσχω τοῖς πανδέκταις, τοῖς ἀποσμιλεύουσι τὰ ὀνόματα. Id est, *Epistolam ad ipsum recta mittere etsi maxime vellem, non sum ausus, ne varia eruditione refertis illis ratio mihi reddenda esset, qui vocalas omnes ad vivum resecant.* Ubi vehementer mihi placent, & vera sunt verba Petavii. *Pandectas existimo homines appellari varia eruditione refertos:* sed quod addit de translatione quadam, ipse viderit. Ad hæc legendus Gerardus Joannes Vossius lib. I. cap. 19. de analogia.

CA-

CAPVT XXII.

Vetus lectio nitide restituta §. 3. vulg. 6. *Favor cœlestis tempore Justiniani superposuit gentes.*

*Quæ favor cœlestis & pacis vigore firmavit & * super * omnes gentes in bellicis * victori * periculis superposuit.* Hic vero immoderata libertas est, vel potius tyrannis, qua viri boni usi sunt in edenda Justiniani voce, ut quemadmodum vides & vocabulum *super* interjiciant, quum de illo nulla κεφαλὴ sit in membranaceo Mediceo, & alterum *victori*, quod illic superscriptum cernitur, sed aliunde progressum velut suo ordini restituentes, in medium contextum immittant. Et quæso quid in his facit τὸ *victori?* an Latine vel dici vel intelligi potest, *nostra tempora super gentes victori superposuit?* Quanquam etiam τὸ *superposuit* video ab illis non ferri, & pro eo allidi in margine velut ad illecebram lectoris simplex *posuit.* Certe sic nemo vir egregius vel in vulgatis historicis grassatur aut grassatus est; Idque

que in loco qui quemadmodum exprimitur in codice optimo ? Nempe peregregie, *quæ favor cœlestis & pacis vigore firmavit, & omnes gentes in bellicis periculis superposuit.* Quid enim in his potest esse molesti ? utrum supervacuum aliquid ? an abruptum ac deficiens ? Sane perfectissimum. Sed nempe pro intolerando apparuit illis *superponere* cum quarto casu, quum id compositum resolvi debuerit ; & intolerantius adhuc, quod dicit Justinianus *tempora superponere gentes.* Immo ipsi sic loquantur. Justiniano relinquant aliquid sapidius ad odorem meliorum temporum. Quid enim ? an non plane sic Virgilius lib. XI. maximi operis, 625.

Scopulosque superjacit undam.

En & simile compositum & similem ejus usum, & quidem cum duobus accusativis, cujus etiam verbi usum, sed cum uno solo illustrat ex Livio & Seneca pater in Livianis X. 30. Quin relinquamus Justiniano suum, & nævos certorum hominum judicantium de rebus quas aut didicerunt male aut saltem perverse adspiciunt, exagitemus, ut oportet. Verba sunt Justiniani in fine secundæ epistolæ.

Vestris

Vestris temporibus talis legum inventa est permutatio, qualem & apud Homerum patrem omnis virtutis Glaucus & Diomedes inter se faciunt, dissimilia permutantes. Hic ut cognoscatis manum Imperatoris, scire oportet voculæ *se* nullum apicem esse in codice vetusto, & plane illic legi *interfaciunt*, in quo unusquisque decernat.

CAPVT XXIII.

Indicata & defensa scriptura codicis optimi §. 5. vulg. §. 8. *Liber positus pro delictis.*

Et post hoc duo terribiles libri positi sunt pro delictis privatis] Sic Taurellus ex manuscripto edidit non sine vel licentiæ vel lasciviæ nota hinc dimittendus, ut qui sic in edendo isto exemplo videtur se velut sequestrum constituere loquutionis ab Justiniano profectæ, & quidem adeo sanctum, ut alios lectores non modo ab suo oraculo pendere incertos de ore Cæsaris, sed etiam prorsus cæcos pronunciationi suæ attendere velit. Quis autem non ægre adspiciat sic modo hactenus illa esse exhibita, quum in ipso manuscripto legatur,

tur, *Et post hoc duo terribiles libri positi sunt pro delictisunt pro delictis* ? Celari quidquam horum omnino non oportuit, etsi vel vitiosissimum & ipsi & aliis videretur. Debuit id publicari, si non propter se, utique ob Haloandrum, cujus placitum est, *Et post hæc duo terribiles libri sunt de delictis privatis.* In hoc ambiguo haud dubia est hactenus lectio codicis Florentini *positi sunt pro delictis.* Licet enim epist. III. §. 7. vulg. 10. alio intellectu scribat, *in multis similibus vel contrariis quod rectius habere apparebat, hoc pro aliis omnibus positum est* ; tamen eadem phrasis non isto sed hoc nostro sensu refertur mox ; *Liber autem singularis pro appellationibus nobis excogitatus est.* epist. III. princ. *Geminæ leges pro rebus singulis positæ usquam appareant.* Quid autem in reliquis fiet ? Itane credimus temerariam prorsus esse negligentis calami repetitionem ? Equidem non ausim huc decurrere. Quin tu vide, an non leniſſime simul ac veriſſime inde exiſtat. *Et post hoc duo terribiles libri positi sunt pro delictis, aut pro delictis privatis & extraordinariis nec non publicis criminibus.* Quod etsi genus scribendi videatur lentius longiusque ductum, non tamen aut vitiosum est, aut nobis ex arbitrio nostro aliena lingua formanda est, maxime

maxime quum nihil hic sit, quod merito incusari possit. Primo enim ait in genere se delictorum fuisse memorem; deinde specialius & quasi per modum correctionis mentem suam exponit. Quod non minus fuit faciendum, quam lector scire supponendus fuit varia esse delictorum genera variasque eorum in Jure considerationes. Et ne dubites de hoc filo sic longinquius tracto, vide quid agat in Græcis. δύο δὲ κἀντᾦυθα βίβλοι, τᾶυτα δὴ τὰ περὶ τῶν ἁμαρτημάτων τε γὰρ ἐγκλημάτων σινέχεσιν.

CAPVT XXIV.

Probatur conjectura Gothofredi epist. III. §. 17. vulg. 21. & defenditur antiqua lectio Florentini manuscripti ejusdem epist. §. 18. vulg. 24.

Nisi tantum si velit eas in Græcam vocem transformare sub eodem ordine, eaque consequentia, sub qua & voce Romanæ positæ sunt] Locus vehementer tentatus, & in quo solus potuit conquiescere Taurellus, fideli-

ter producens quod legebat in manuscripto, incertum voluntate, an quod nihil excogitaret melius. At ante illum Haloander, ut commodiora existerent, edidit *voces Romanæ*, tanto ante alios probabiliore sententia, quod persæpe contingit literam *s* in fine vocabuli etiam in optima membrana abesse, ut epist. I. §. 1. vulg. 2. *erecti* & §. 4. vulg. 6. *auctorita* pro *auctoritas* & *erectis*. Sed tamen Taurelli editionem maluerunt sequi duo Ludovicus Russardus & Charondas ; non tamen ita, ut non aliquantum ei diffiderent, & auctoritatem suam perscribi curarent, posito ad oram ; Forte legendum est, *consequentia & voce sub qua Romanæ*. Denique Gothofredus editione Genevensi a. 1619. (nam aliæ ejus editiones servant id quod ex Florentino codice protulit Taurellus) *sub qua & voce Romana*, quod & Batava editio amplectitur. Nobis sic placet hæc intueri. Nam qui audet conari illud Haloander, quum diserte ista loquendi ratio sit contra genium certum ipsius Justiniani ? An Haloandro hic vacat scribere *voces Romanæ*, quum priore versu Justinianus dicat *in Græcam vocem ?* Quin immo credi debet insignis ille vir perperam adspexisse, quid *vox* apud Justinianum signi-

gnificet, ut apparet Haloandro acceptum pro vocabulo, quum certe sit pro ipso sermone & lingua ex vocabulis constante ; & quum vult Haloandrinam mentem eo exprimere princeps, præsto illi est *vocabulum.* Sic epist. I. §. 6. vulg. §. 8. *antinomia a vetustate Græco vocabulo nuncupatur.* At vox ei est id quod, ut dixi, multis vocabulis continetur. Sic & alii Latini. Tacitus de integro carmine 3. ann. 50. *Quam nefaria voce aures & mentem polluerit.* & pro ipsa pronuntiatione alii. Etiam *vox magistra* in epist. II. aliud docet. Id ipsum ergo est, quod Græce Justinianus exposuit, πλὴν εἰ μὴ βεληθείεν εἰς μὲν τὴν Ἑλλήναον γλῶτταν αὐτὰ μεταβαλεῖν, μόνη γὰρ τῇ κατὰ πόδα καλουμένῃ χρήσαθαι τῶν νόμων ἑρμηνείᾳ. Ubi non fuit necesse Contio, ut fugiens sermonem Justinianeum verteret, *præterquam si velit quis in Græcam linguam hæc transferre.* Jam quod ad alios attinet, mirifica foret loquutio *aliquid in Græcam vocem transformare sub eodem ordine & consequentia & voce*, quam ponunt duo isti Ludovici ; immo explicari nescia, nisi absurdissima cum discordia sententiæ in quarto & postremo verbo, quale quid captatum

tum fuisse & voluisse nunc loqui Imperatorem, uter probabit ? In idem profecto crimen incidit scriptura, quam præfert Codex Florentinus cum Taurello, ut omnino unica hic fuerit sagacitas Gothofredi legentis, ut supra posui ; breviter quidem & contracto nonnihil sensu, sed qui commoda resolutione explanatur, nempe *sub qua* consequentia *etiam* in *voce Romana positæ sunt.* Quam correctionem vel ipso sacro codice judice probam agnoscere debemus, dum vel in l. 8. D. de off. præs. exhibet *hæc rescriptione*, vel L. 10. D. de in jus voc. *Si hæc lege venierat*, utrobique pari abundantia unius vocalis *e* pro *hac.* Ejusdem epist. §. 18. vulg. 24. legit Florentinus manuscriptus : *Omnes itaque judices nostri pro sua jurisdictione easdem leges suspiciant, & tam in judiciis, quam in hac regia urbe habeant & proponant.* Hic ad vocabulum *suspiciant* posuit in margine Taurellus *suscipiant.* Quod ante eum vulgaverat Haloander, & postea alii editores & quidem plures despecto Florentino manuscripto in contextum admiserunt. Sed ratio nulla est, cur manuscriptum deseramus : nam *suscipiant, habeant, proponant*, non multum differunt ; *suspiciant*

ant autem est admirentur, cum reverentia intueantur, quasi res honorandas, venerabiles sanctasque, ut sunt leges : Et ipse Justinianus hac epist. §. 15. vulg. 19. ait, *adorate leges.* Virgilius I. Æneid.

Æneas ait & fastigia suspicit urbis.

Horatius I. epist. 6. v. 17.

I nunc argentum & marmor vetus æraque & artes
Suspice.

Nepos Agesilao c. 4. *In hoc non minus ejus pietas suspicienda est quam virtus bellica.* Lampridius Alexandro c. 50. *provinciales ut deum suspiciebant.* Capitolinus Maximino c. 3. *Hinc igitur factus conspicuus, inter milites clarus, amari a tribunis, a commilitonibus suspici.*

CAPVT XXV.

Sæpius emendatur Index operum Jurisconsultorum.

Hic Index magna parte Græce refertur, qui in editionibus quidem cum præcedenti epistola Græca ponitur post tres

epistolas Justiniani Digestis præfixas : sed quoniam in Florentino manuscripto hæc epistola Græca, Δέδωκεν ἡμῖν ὁ Θεὸς μετὰ τὴν &c. soluta est, & adhuc mota loco suo nunc huic nunc illi parti inseritur, filis ruptis, hinc contigit, ut ejus nunc primum folium desideretur, non exiguo cum dolore meo, quum ad ejus initium in editis misere lancinatum oculos meos si non alio, utique spe acuissem. Sed nos occupavit homo improbus vi & ferro abscissum furto auferens : reliquas paginas omnes integras Dei Opt. Max. & Sereniss. Cosmi III. liberali pace & Ant. Magliabequii laudabili gratia feliciter evolvi. In hoc Indice occurrit primus Jurisconsultus Julianus, non quod senior sit, vel auctor plurium legum : sed vel quod doctiora scripserit, aut pluris habitus fuerit tamquam conditor Edicti perpetui ; cujus & in prioribus epistolis tam ambitiosa memoria, & qui tot encomia in Digestis meruit a ceteris prudentibus, quot nemo alius, qui certe ordo merito probandus est. Etsi Angelus Politianus hunc ordinem mutaverit, nobis placet sequi Florentinum manuscriptum, cujus auctoritatem quanti fecerit Taurellus hinc inde ad manus.

IOY-

IOYΛIANOY.

Digeſton βιβλία ἐνενήκοντα] Hæc nihil aliud dicunt quam *Digeſtorum libri nonaginta.* Haloander tamen habet *Digeſtorum lib. nonaginta novem.* An bene intellexerit Græcum numerum neſcio. Haloandrum ſequitur Editor Corporis Gloſſati anni MDLIX. Giphanius de Oeconomia pandectarum rotundo numero putat *digeſtorum lib.* 100. Jacobus Labittus in ſuo Indice legit XCIV. Hoc ut probaret, allegat l. 32. D. de leg. quam ita edidit Taurellus, a quo omnes errores fluxerunt, JULIANUS *libro* LXXXXIIII. *Digeſtorum.* In ipſo Florentino manuſcripto legitur JULIANUS libro LXXXIIII. Sed neſcio quæ manus ſupra addidit quartum X: quod liquido patet: & bene memini id vidiſſe. Hodie tamen omnes editiones legunt JULIANUS *libro* LXXXXIV. *Digeſtorum:* erronee prorſus, ut ad illam legem ſumus probaturi Deo volente. Sed neque poſſum hoc loco præterire inſcriptionem legis ſecundæ D. de locis & itin. publ. ubi nunc conſtanter cernitur contra conſuetudinem ſolitam, ULPIANUS *libro quadragenſi-*

mo Digestorum : cum ex hoc Indice liqueat nullos Digestorum libros Ulpianum formasse : nisi quis eosdem putet, quos ad Pandectas Ulpianus concinnavit, quos semper libros Pandectarum appellat, neque numerus istorum librorum unquam cum hac lege conveniet : numerantur enim solummodo decem Ulpiani Pandectarum libri : hic autem *Quadragensimus Digestorum*. At cum ex hoc Indice pateat, nullos Digestorum libros Ulpianum concepisse ; profecto non tantum numerum, & quoniam sequens lex tertia citati tituli præferat idem nomen ; ULPIANUS *libro trigensimo tertio ad Sabinum* ; legendum in hac secunda lege JULIANUS *libro quadragensimo Digestorum*. Nam hic Index Juliani libros Digestorum nonaginta agnoscit, non plures, ut probavimus : præterea in hac tertia lege scriptum fuisset *IDEM*, non *ULPIANUS* ; nisi in præcedente secunda lege hoc nomen præstantissimi sapientis ægrotaret.

QVINTV MVCIV SCAEVOLV.

In Florentino manuscripto SCAEVOLA id est Scævola : nam tale A pro A sæpe ibidem vidi : alius homo etiam alio atra-

atramento supra A fixerat *u* male : nam Scævola est genitivus Doricus Græcus, sic infra AKYΛA. Hoc nomen exaratur atramento rubro, ut omnia nomina Jurisconsultorum sequentia : quo significatur Quintum Mucium Scævolam etiam contribuisse ad Digesta conficienda, quod Taurelli editio parum diligenter expresserat.

ΠΟΜΠΟΝΙΟΥ.

Ἐγχειριδίε βιβλία δύο] Bene hoc, sed debet repeti & addi ἐγχειριδίε βιβλίου ἓν. Quemadmodum probant l. 2. D. de Justit. & jure. l. 2. D. de Orig. Jur. & l. 239. de verb. signif. quæ omnes leges desumptæ sunt ex libro singulari Enchiridii Pomponii.

ΓΑΙΟΥ.

Ad edictum urbicum τὰ μόνα ἑυρεθέντα βιβλία δέκα] Hæc verba non sunt obscura aut ambigua : significant enim *ad edictum urbicum soli inventi libri decem.* Politianus tamen in epistola ad Jacobum Modestum ait, *Ad edictum publicum quindecim.* Anton. Augustinus lib. I. cap. 5. refert,

„Cajus hujusmodi provinciale edictum „duobus & triginta libris est interpretatus, „urbanum fortasse pluribus. Sed Justi„niani tempore duodecim extabant. Quod „illo librorum indice constat, in quo Po„litianus erravit, edictum publicum pro „urbico scribens.„ Fata hominum! percucurri omnes Pandectas, & nusquam liber undecimus aut duodecimus aut ultra ad edictum urbicum : citatur tantum GAII liber primus, secundus & tertius ad edictum Prætoris ; cæteri qui plures citantur carent numero. Pudet referre l. 57. de reg. jur. in Batava editione anni MD CLXIV. legi *GAIUS* lib. 18. *ad edictum urbicum* : cum omnes editiones agnoscant ibi *provinciale* : nec aliter Florentinus manuscriptus : quod Cajus duobus & triginta libris illustravit.

Δωδεκαδέλτῳ βιβλίοις ἓξ] Florentinus manuscriptus δυοδεκαδέλτῳ : quemadmodum monuit Taurellus in Adnotatis : quod mallem vel δωδεκαδέλτῳ. Unde pergam detegere crassum errorem hominis diligentis Jacobi Labitti ad Inscriptionem l. 4. D. arbor. furt. cæs. *GAIUS libro ad legem duodecim tabularum.* Ita in Pandectis Florentinis & ubique legitur : nisi

nisi quod quidam editores addunt *primo*: quia præcedit in l. 2. h. tit. *GAIUS libro primo ad legem duodecim tabularum.* Sed ut diximus in Florentino manuscripto deest *primo*. Notum est autem ex Indice Operum, Cajum ad legem duodecim tabularum scripsisse sex libros. Labittus in suo Indice vult probare, Cajum composuisse post sex illos libros etiam librum singularem ad legem 12. tabularum ex hac lege IV. Quod illi concedere non possum. Nam nec in Indice nec in hac lege manuscriptus Florentinus aut ullus alius exhibet *singulari*. Quæ tamen consuetudo manuscripto est usitata. Eodem exemplo Labittus probaret Juliani librum singularem ad Vrsejum Ferocem ex l. 10. D. loc. quum Florentinus manuscriptus & Index agnoscat solummodo Juliani libros quattuor ad Vrsejum Ferocem, non item alium singularem. Inscriptio legis 10. D. Locati legebatur quondam, (nam id scire interest) & quidem rubra sepia in Florentino manuscripto: *IDEM Libro ad Ferocem*: sed quum nequiret alicunde probari ab Ulpiano, cujus præcedens fragmentum est, tale quid compositum esse, alia manus atramento nigro superscripsit *Julianus*: numerum tamen

tamen libri usque adhuc desiderat ; ut stupida sit confidentia Batavæ editionis majoris, exhibentis *lib.* III. *ad Ferocem.* Modestior minor *lib.* [3] *ad Ferocem.*

ΟΥΛΠΙΑΝΟΥ.

Protribunalium βιβλία δέκα] Hic liber in Digestis ubique nominatur *de omnibus tribunalibus. Pro tribunali*, id est, in tribunali. Cicero lib. 3. ad fam. epist. 8. *idque pro tribunali, cum aliquid ageretur, & nonnullis in conviviis.* l. 14. D. de in jus voc. *qui se defendere paratus pro tribunali præsidem provinciæ frequenter interpellat.* Sic *pro Rostris* l. 2. §. 4. D. de Orig. Juris. Adeo ut *de officio proconsulis* βιβλία δέκα diversus plane sit liber, quam de omnibus tribunalibus, non idem, ut voluit Contius. Proconsul provinciam & tribunalia in ea vel ipse vel legatus ejus cui ipse mandaverat curabat: non autem tribunalia quæ erant Romæ nec quæ extra ipsius provinciam. Itaque *De omnibus tribunalibus libri decem* sive *pro tribunali* tractant illa quæ in tribunalibus sive Romæ sive in provincia sint, agantur. *De officio proconsulis libri decem* tractant illa quæ proconsulem observare

vare oporteat non solum in tribunalibus provincialibus ; sed legibus, moribus provincialibus ut sit vigor, curare debet, provincia tuta foris, intus quieta, templa sarta tecta, opera publica circumire inspiciendi gratia an aliqua refectione indigeant &c. l. 7. D. de off. proc.

De officio quæstoris liber singularis] Citatur hic liber in l. 1. D. de off. quæst. At l. 2. D. de jurisd. hodie legitur in pluribus libris *VLPIANVS libro secundo de officio quæstoris :* cum tamen Haloander olim ediderit *VLPIANVS libro singulari de officio quæstoris*, & ita legendum censet Contius ; quoniam nusquam alibi mentio fiat istorum duorum librorum Vlpiani de officio quæstoris.

ΠΑΥΛΟΥ.

Ad Sabinum βιβλία δέκα ἑξ] Id est *sedecim.* Labittus explicat, *Lib. XVI. al. XVII. alii plures.* Et ut probaret libros XVII. citat librum XVII ad Sabinum ex l. 4. D. de donat. Nam ea lex vulgo ita inscribitur, *PAVLVS libro septimo decimo ad Sabinum :* sed Taurellus emendavit in margine POMPONIVS : quod debuit

buit in contextum recipere : quemadmodum olim fecerat Haloander. Nec aliter Basilicorum libri qui ejusdem legis quartæ auctorem Pomponium nominant. Scripsit autem Pomponius triginta quinque libros ad Sabinum. Paulus vero sedecim. Vlpianus quinquaginta & unum.

De jure libellorum] Labittus ait nullas leges ex hoc libro sumptas : inspiciat autem l. XI. D. de legation.

Υποθηκαρία
Ad municipalem] Taurellus ita posuit in duobus versibus quasi duo diversi essent hi libri. Sed notandum est in Florentino manuscripto hæc poni eodem versu non separatim Υποθηκαρία Ad municipalem : & quia nullæ leges in Digestis ex his libris reperiuntur, valde suspecta sunt ab insulsa manu adsuta esse. Sic etiam ex duobus libris præcedentibus

De officio prætoris tutelaris
&
De extraordinariis criminibus

nullæ leges recitantur. Angelus Politianus tamen eos agnoscit inter Opera Pauli.

Sed

Sed tutius est ut horum quattuor librorum locum occupent,

De officio adsessorum.
De variis lectionibus.
De conceptione formularum.
De adsignatione libertorum.

Ex quibus quattuor singularibus libris Pauli leges dictantur.

Ad legem Velleam] Nullæ reperiuntur leges hac inscriptione inter Opera Pauli: mallem vero pro Velleam, Fusiam Caniniam, qua inscriptione gaudet l. 37. D. de condit. & demonstr. & l. 215. D. de Verb. signif.

De actionibus] Nullæ ex hoc libro sumuntur leges, & omnino supervacuum est: nec Florentinus manuscriptus agnoscit hunc librum, sed ignava manus in marginem hoc notaverat, Taurellus nulla ratione admisit in contextum, unde in omnes postea libros hic error promanavit, qui etiam inquinavit Gregorium Haloandrum, Angelum Politianum, Antonium Contium, Ludovicum Russardum & alios.

* *De*

* *De legibus* *] Taurellus indicat hunc librum ab aliena manu additum. Ea igitur manus sibi id habeat, ne conspurcet præstantissimum manuscriptum. Nam nullæ leges Pauli ex hoc libro citantur. Hujus generis est etiam

De donationibus inter virum & uxorem
& sequens
De legitimis hereditatibus.

Ex quibus libris nulla lex in omnibus Digestis hanc inscriptionem præferens. At horum locum melius tenebit

De articulis liberalis causæ
&
De cognitionibus.

ΓΑΛΛΟΥ ΑΚΥΛΑ.

Responsa] Ita Taurellus fideliter secundum litteras Florentini manuscripti edidit. Haloander emendavit *Julius*. Angelus Politianus *Gallum Aquilium* putat familiarem Ciceronis, cujus fit mentio l. 2. D. de Orig. jur. Sed hic sunt duo cognomina, non nomen & cognomen, ut plerumque solent Juris-

Juriſconſulti. Ne indulgeamus conjecturis, ſunt duo diverſi Auctores. ΓΑΛΛΟΥ, is eſt Aelius Gallus qui ſcripſit librum de Verborum quæ ad jus pertinent ſignificatione : propter velocitatem aut aliam quam deſidiam ſcriba Florentinus nomen poſuit, opus ſive librum omiſit. Hoc probatur ex inſcriptione legis 157. D. de verb. ſign. ΑΚΥΛΑ autem eſt Julii Aquilæ, cujus liber Reſponſorum citatur l. 34. D. de adminiſtr. & peric. tut. & l. 12. D. de ſuſpect. tut.

ΤΑΡΡΟΥΝΤΗΝΟΥ ΠΑΤΕΡΝΟΥ.

Hic auctor ſemper in Digeſtis l. 7. de re milit. & l. 6. de jure immun. appellatur TARRVNTENVS PATERNVS. Haloander *Tarantinus.* Angelus Politianus & Jacobus Labittus *Tarruntius.* Sic relicto manuſcripto Florentino vagantur. Id nomen jam reſtituit Stewechius ad Vegetium lib. 1. c. 8. Reſtat adhuc reſtituendum ad Lampridii Commodum c. 4. *Crudelis vita Commodi Quadratum & Lucillum compulit ad ejus interfectionem conſilia inire, non ſine præf. præt. Tarrutini Paterni conſilio.* Vbi Caſaubonus male emendat *Tarruntii* e l. 7. D. de re mil. Vidit ibi aliquid Salmaſius, qui

legit in Palat. manuscripto *Tarruteni* : ex quo lego *Tarrunteni.* Etiam restituendum ad lib. LXXI. Dionis. Κοτινοὶ δὲ ἐσηγγείλαντο αὐτοῖς ὅμοια, Ταῤῥούνιον δὲ Πάτερνον, τὸν τὰς ἐπιστολὰς αὐτῷ τὰς Λατίνας διὰ χειρὸς ἔχοντα παραλαβόντες &c. ἐκάκωσαν: ubi illud δὲ bis offendit, & melius erit, ut legamus Ταῤῥούντηνον Πάτερνον &c. juxta auctoritatem Florentini manuscripti, quæ magna est, ubi sibi constat, & aliorum librorum.

ΑΝΘΟΥ ΗΤΟΙ ΦΩΡΙΟΥ ΑΝΘΙΑΝΟΥ.

Μέρος ἐδίκτυ βιβλία πέντε] Inter Opera Furii Anthiani contra fidem Taurellus ita edidit: nec aliter Haloander *partis edicti lib. quinque.* In iis libris quinque Furius non explicavit partem edicti, sed totum edictum: unde appellantur hi libri *ad edictum.* Haloander pro nominativo fecit genitivum, sed suo arbitrio. Si libuisset Taurello sequi lectionem antiquissimi Florentini manuscripti puram putam, certe & sibi & manuscripto pristinam auctoritatem servasset. In illo manuscripto legi Μερος εδικτυ βιβλιων πεντε. Omnia sana, id est, *pars edicti librorum quinque:* nam citatur tantum pars quinque librorum edicti: *librorum edicti*, hoc est, ex libris

bris ad edictum: quemadmodum etiam in Digestis appellantur l. ult. de pactis & l. ult. de dol. malo. & l. ult. de rei vindic. Sic inter Opera Caji recensentur Δωδεκαδέλτου βιβλία ἕξ. Id est, *ad legem XII. tabularum.* Inter Opera Callistrati *Edicton monitorion* βιβλία ἕξ. *Edictorum monitoriorum libri sex.* Qui in Digestis itidem citantur *ad edictum monitorium.* Inter Opera Aelii Marciani Ὑποθηκαρίας μονόβιβλον: quod in Digestis; *Liber singularis ad formulam hypothecariam.* Inter Opera Aemilii Macri Εἰκοσῶν βιβλία δύο: *Vicesimarum libri duo*: qui in Digestis citantur *ad legem vicesimam.* Merito quoque pars quinque librorum dicitur, quia ter solummodo primus liber allegatur, ut notavimus. Batavus tamen in sua editione in majore forma negat hoc nomen in Digestis reperiri.

De numero quoque Jurisprudentium, qui egregiis laboribus suis Digesta ornarunt, libet hoc adjungere: nam incertus & varius adhuc in libris circumfertur. Igitur ne quem fraudemus sua laude, audiamus Haloandrum; qui numerat XXXIX. Taurellus videtur numerare XXXVIII. summum. Gul. Budæus in notis prior. ad Pandectas ait, pag. 42. *His Pandectis coagmentandis septem*

& triginta Jurisconsulti symbolas contulerunt. Quod falsum; nam omnino fuerunt XXXVIII. Angelus Politianus in epistola ad Modestum obliviscitur ALFENI VARI, FLORENTINI & IVSTI, e quorum tamen libris leges in Digestis recitantur. Melius egisset vir doctus, si SABINVM dedignatus fuisset allegare, quippe qui nullius auctor legis in Pandectis reperitur. Omisso itaque nomine SABINI, & ΓΑΛΛΟΥ ΑΚΥΛΑ duobus nominibus separatis, invenientur juste triginta octo Jurisconsulti, ut diximus.

FINIS.

D. IVSTINIANI
DE
PANDECTIS
EPISTOLAE III.
HISTORIAM PANDECTARVM
AVTHENTICAM
CONTINENTES
EX
MANVSCRIPTO FLORENTINO
ACCVRATIVS REPRAESENTATAE
CVM
NOTIS CRITICIS
QVIBVS
EMENDATIONES GRONOVIANAE
PASSIM EXAMINANTVR

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1844784568/phys_0137
DFG

EPIGRAMMA

PANDECTIS FLORENTINIS

PRAEFIXVM

βιβλον ιουστινιανος αναξ τεχνησατο τηνδε
ην ρα τριβωνιανος μεγαλωι καμε παμβασιληι
οια τις ηρακληι παναμολον ασπιδα τευξας
ης επι μαρμαιρουσιν αγαλματα παντα θεμιστων
ανθρωποι δ' ασιης τε δορυκτητου δε λιβυσσης
ευρωπης τε πιθονται ολου σημαντορι κοσμου

D. IVSTINIANI DE PANDECTIS EPISTOLA I.

DE CONCEPTIONE DIGESTORVM.

IMPERATOR CAESAR FLAVIVS IVSTINIANVS PIVS FELIX INCLVTVS VICTOR AC TRIVMFATOR SEMPER AVGVSTVS TRIBONIANO QVAESTORI SVO SALVTEM.

DEO auctore noſtrum 1) gubernantes Imperium, quod nobis a caeleſti maieſtate traditum eſt, et bella feliciter peragimus, et pacem decoramus, et ſtatum reipublicae ſuſtentamus: et ita noſtros animos ad Dei omnipotentis eregimus 2) adiutoriam, ut neque armis confi-

F 4 da-

1. *gubernantes*) Sic Florentiae. Quam lectionem primus feliciter detexit Gronouius, *pag.* 3. *ſequ.* Taurellus legit: *gubernante*. Et ſic omnes Pandectarum editiones & Codicis in *l.* 1. *C. de Vet. Iur. Enucl.* Similem obſeruationem τῷ *s* in plica deliteſcentis, ſed a Taurello quoque animaduerſi, in *l.* 203. *D. de Verb. Signif.* refert Vir Celeberrimus Henr. Brencmannus, *Hiſtor. Pandect. Lib. II Cap.* 1. *p.* 101. ubi Gronouio ſimul pleniſſimam fidem adſtruit.

2. *adiutoriam*) Sic manuſcriptus Florentinus. Gronouius *p.* 25. Taurellus: *adintorium*: & ſic antiquiſſimae Codicis editiones,

damus, neque noſtris militibus, neque bellorum ducibus uel noſtro ingenio, ſed omnem ſpem ad ſolam referamus ſummae prouidentiam trinitatis: unde et mundi totius elementa proceſſerunt, et eorum diſpoſitio in orbem terrarum producta eſt. (*Vulg.* §. I.) Cum itaque nihil tam ſtudioſum in omnibus rebus 3) inBenitur, quam legum auctoritas, quae et diuinas et humanas res bene diſponit, et omnem iniquitatem expellit: 4) reperimus autem omnem legum tramitem, qui ab urbe 5) Roma condita et Romuleis deſcendit temporibus, ita eſſe confuſum, ut 6) infinitum extendatur, et nullius humanae naturae capacitate concludatur: primum nobis fuit ſtudium 7) ſacratiſſimis retro principibus initium ſumere, et eorum conſtitutiones emendare, et uiae dilucidae tradere: quatenus in unum codicem congregatae, et omni ſuperuaQüa ſimilitudine et 8) iniquiſſima diſcordia abſo-

nos, quas ad hanc & tertiam Epiſtolam perpetuo conferemus, Moguntina & Baſileenſis, in *l.* 1. *C. de V. I. E.*

3. *inBenitur*) Codex Baſileenſis: *inueniatur.*

4. *reperimus*) Gronouius *p.* 9. Conſentit uterque Codex, Moguntinus & Baſileenſis. Taurellus: *repperimus.*

5. *Roma*) Vterque Codex: *Romana.*

6. *infinitum*) Gronouius, *p.* 9. Taurellus: *ut * in * infinitum.* Praepoſitio extat quoque in utroque Codice.

7. *ſacratiſſimis*) Codex uterque: *a ſacratiſſimis:* Vid. Gronouius, p. 49.

8. *iniquiſſima*) Codex Baſileenſis: *nequiſſima.*

ſolutae, uniuerſis hominibus promptum ſuae 9) ſinceritatis praebeant praeſidium.

§. I. (*Vulg.* §. II.) 10) Hocque opere conſummato, in uno uolumine 11) noſtro nomine praefulgente coadunato cum ex paucis et tenuioribus 12) releuati ad ſummam et pleniſſimam iuris emendationem peruenire 13) properaremus, et omnem Romanam ſanctionem et colligere et emendare, et 14) tota auctorum diſperſa uolumina uno codice 15) indita oſtendere, quod 16) nemo neque ſperare neque optare auſus eſt, res quidem nobis 17) difficilema, immo magis impoſſibilis uidebatur. Sed manibus ad caelum 18) erecti, aeterno auxilio inuocato

9. *ſinceritatis*) Codex Moguntinus: *ſerenitatis præſidium præbeant.*

10. *Hocq. op. conſumm. &c.*) Idem Codex: *Hocque conſummato opere, & in uno &c.* Codex Baſil. *Hoc quoque opere conſummato, & in uno &c.*

11. *noſtro nomine*) Codex Baſileenſis omittit τὸ *nomine.*

12. *releuati*) Codex Mogunt. *reuelati.*

13. *properaremus*) Idem Codex: *properaremur.* Codex Baſil. *properemus.*

14. *tota auctorum*) Gronouius, *p.* 25. Taurellus: *tot auctorum.* Et ſic uterque Codex. Optime. *Tot uolumina* opponuntur *uni codici*, cui ea indita oſtendere res difficillima non poterat non uideri.

15. *indita*) Codex Mogunt. *inclita.*

16. *nemo neque ſper.*) Vterque Codex: *nemo alius neque ſperare.*

17. *difficilema*) Gronouius, *p.* 25. Taurellus: *difficillima.*

18. *erecti*) Taurellus in margine: † *erectis.* Vterque Codex: *erectis, & æterno.*

to eam quoque curam noſtris repoſuimus animis, Deo freti, qui et res penitus 19) deſpetas donare, et 20) conſummare ſuae uirtutis magnitudine poteſt. (*Vulg.* §. III.) et ad tuae ſinceritatis optimum 21) reſpeximus miniſterium: tibique primo et hoc opus commiſimus, ingenI tui documentis ex noſtri codicis ordinatione acceptis, et iuſſimus quos probaueris tam ex facundiſſimis anteceſſoribus, quam 22) ex uiris diſertiſſimis togatis fori ampliſſimae ſedis, ad ſociandum laborem eligere. His itaque collectis, et in noſtrum palatium introductis, nobiſque tuo teſtimonio placitis, totam rem faciendam permiſſimus: ita tamen, ut tui uigilantiſſimi animi gubernatione 23) res omnis celebretur.

§. II. (*Vulg.* §. IV.) Iubemus 24) iugetur uobis

19. *deſpetas*) Sic Florentiae: ΔΕſPETaS. Taurellus: *deſperatas*. Gronouius legendum cenſet: *deſuetas*, *p.* 12. Sed retinendum utique uidetur, quod eſt ab antiqua corrigentis manu, ſuperſcriptis literis RA, & quod exhibetur (etiam in utroque Codice noſtro) in l. 1. C. de V. I. E. *deſperatas*: ut pote iis, quae antecedunt, conuenientiſſimum.

20. *conſummare*) Cod. Mogunt. *confirmare*.

21. *reſpeximus*) Cod. Baſil. *reſpexerimus*.

22. *ex uiris*) Cod. Mogunt. *ex uiris diſertiſſimis*. Iuuat haec lectio coniecturam Gronouii ad princ. Epiſt. III. *p.* 54.

23. *res omn. celebr.*) Cod. Baſil. *res omnes celebrentur*.

24. *iugetur*) Sic Florentiae. Gronouius interpretatur

bis antiquorum prudentium, quibus auctoritatem conscribendarum interpretandarumque legum sacratissimi principes praebuerunt, libros ad ius Romanum pertinentes et legere et elimare: ut ex his 25) omnis materia colligatur, nulla, secundum quod 26) sibile est, neque similEtudine neque discordia derelicta: 27) sed ex his hoc colligi quod unum pro omnibus sufficiat. Quia autem et alii libros ad ius pertinentes scripserunt, quorum 28) scripturae nullis auctoribus receptae nec usitatae sunt: neque nos eorum uolumina nostram inquietare dignamur sanctionem.

§. III.

tur *iugiter*, p. 28. Taurellus edidit: *igitur*: & sic uterque Codex. Recte omnino. Incipit enim Imperator hoc §. Triboniano & sociis omnem officii rationem & modum & potestatem praescribere, quod sane in superioribus nondum fecerat.

25. *omnis*) Vterque Codex: *omnibus*.

26. *sibile*) Sic Florentina membrana. Gronouius explicat & emendat: *scibile*, p. 30. Taurellus edidit: *possibile*. Consentit uterque Codex noster. Imperator uero hoc uerbo *possibile* simpliciter & sine adiectione casus tertii saepe utitur, ut in *l. un. C. de sent. quae pro eo quod interest.* §. 8. *I. de publ. Iud.* etiam infra Epist. III. §. 5. Quamuis igitur leuior sit emendatio, cum *sibile* in *scibile* mutatur: quia tamen hoc uerbum durius est, neque alias Iustiniano usitatum, nec mentem eius hoc loco satis explicat: magis placet lectio, quam Taurello suggessit *l.* 1. *C. de V. I. E.*

27. *sed ex his*) Cod. Basil. *& ex his.*

28. *scripturae nullis*) Cod. Mogunt. *scripturae a nullis.* Codex Basil. haec mire turbat: *Qui autem & alios libros &c.* - *scripturae a nullis auctoribus* &c.

§. III. (*Vulg.* §. V.) 29) Cumque haec materia summa nostri numinis liberalitate collecta fuerit, oportet eam pulcherrimo opere extruere, et quasi 30) proprium et sanctissimum templum iustitiae consecrare: et in libros quinquaginta et certos titulos 31) totum 32) digerere, tam secundum nostri constitutionem codicis, quam edicti perpetui imitationem, prout hoc 33) uobis commodius esse 34) patuerit, ut nihil extra memoratam consummationem possit esse derelictum, 35) sed his quinquaginta libris totum ius antiquum per millesimum et quadringentesimum 36) paene annum confusum, et a nobis purgatum, quasi quodam muro uallatum, nihil extra se habeat: omnibus

29. *Cumque haec materia &c.*) Cod. Mogunt. *Cum hæc materia a summi nostri.* Basil. *a summa nostri.*

30. *propr. & sanctiss.*) Cod Mogunt. *proprium & sacratissimum.* Basil. *proprium sacratissimum.*

31. *totum*) Absolute dictum. Gronouius, *p.* 13. Taurellus: *totum * ius **. Et uterque Codex habet: *totum ius.*

32. *digerere*) Codex Basil. *dirigere.*

33. *uobis*) Cod. Mogunt. *nobis:* mendose.

34. *patuerit*) Cod. Basil. *apparuerit.*

35. *sed his qu. gint. libr. tot. ius*) Idem Codex: *sed his libris quinquaginta ius totum antiquum.*

36. *millesimum & quadringent.*) Et sic uterque Codex, nisi quod in Basileensi est: *quadringentesimum fere annum.* Verum emendandus est hic numerus annorum ex Epistola Graeca, *princ.* περὶ ἀμφὶ τὰ χίλια καὶ τριακόσια ἔτη. Ergo scribendum erat: *per millesimum & trecentesimum paene annum.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1844784568/phys_0144
DFG

bus auctoribus iuris aequa dignitate pollentibus, et nemini quadam praerogatiua seruanda: quia non omnes in omnia, sed certi per certa uel meliores uel deteriores inueniuntur.

§. IV. (*Vulg.* §. VI.) Sed neque ex multitudine auctorum quod melius et aequius est, iudicatote: 37) cum possit an et deterioris sententia et 38) multas et maiores in aliqua parte superare. Et ideo ea quae antea in notis AemElii Papiniani 39) ex Vlpiano et Paulo, 40) nec non Marciano adscri-

37. *cum possit an*) Taurellus exhibuit: *cum possit* * *forsitan*) locum suspectum & laborantem hoc signo indicans. Sed in Adnotatis non dissimulat, extare in membrana Florentina, quod repositi: *cum possit an:* seque substituisse: *forsitan:* ut minus discederet ab exemplari Florentino, quam ceteri libri, qui habent: *cum possit unius forsitan.* Codex Mogunt. *cum possit unius forsan.* Basil. *cum possit unius forsitan:* ut supra §. 1. *quod nemo* alius *neque sperare.* Et miror hunc locum a Gronouio praetermissum esse. Poterat enim Florentinam scripturam defendere: cum particulae dubitandi *an* haud male conueniat iste usus, ut subaudiatur *fors*, aut *forsit:* quemadmodum hoc sine adiectione eius particulae poni, et contra, eandem particulam in *fortasse an* eleganter abundare, constat. Neque dubito in *l.* 83. *D de adquir. uel omitt. hered.* initium: *Si totam an partem, ex qua quis heres institutus est, tacite rogatus sit restituere;* interpretari: *Si totam forsitan partem:* casum proponente Vlpiano: quamuis nouerim Cuiacium ibi scriptum existimare *an* pro *eam*, *II. Obseruat. 7. & III.* 38.

38. *multas*) Vterque Codex: *multos.*

39) *ex Vlpiano*) Cod. Basil. *& ex Vlpiano.*

40. *nec non Marciano*) Cod. Mogunt. *nec non & Marciano.*

ſcripta ſunt, quae antea nullam uim optinebant 41) propter honorem ſplendidiſſimi Papiniani, non ſtatim reſpuere: ſed 42) ſi quid ex his ad repletionem ſummi ingenii Papiniani 43) laborum, uel interpretationem neceſſarium eſſe 44) perſpexeritis, et 45) hoc ponere legis uicem optinens non moremini: ut omnes qui relati fuerint 46) in hunc codicem prudentiſſimi uiri, habeant auctoritatem, 47) tanquam ſi eorum ſtudia ex principalibus conſtitutionibus 48) profecta, et 49) noſtro diuino 50) fuerant ore profuſa. Omnia enim merito noſtra facimus, quia ex nobis 51) omnis eis impertietur 52) auctorita. nam qui 53) ſuptiliter

41. *propter honorem*) Vterque Codex: *partim propter honorem.*

42. *ſi quid*) Cod. Mog. *ſi quidem.*

43. *laborum uel interpret.*) Idem Codex: *laborum & interpretationum.*

44. *perſpexeritis*) Cod. Baſil. *perſpexeris.*

45. *hoc ponere*) Idem Codex: *hic ponere.*

46. *in hunc codicem*) Idem Codex: *in hoc codice.*

47. *tanq. ſi eor. ſtud.*) Vterque Codex: *tanquam ſi & eorum ſtudia.*

48. *profecta*) Codex Moguntinus. *perfecta.*

49. *noſtro diuino*) Vterque Codex: *a noſtro diuino.*

50. *fuerant*) Vterque Codex: *fuerint.*

51. *omnis eis*) Codex Baſil. *omnis eius.*

52. *auctorita*) pro: *auctoritas:* omiſſa poſtrema litera, ut ſupra. §. 1. *erecti* pro *erectis.* Gronouius *p.* 66. Taurellus exhibet: *auctoritas.*

53. *qui ſuptiliter*) Gronouius *p.* 14. Taurellus ediderat: *qui * non * ſuptiliter.* Codex Moguntinus, omiſſa

ter factum emendat, laudabilior est eo qui primus inuenit.

§. V. (*Vulg.* §. VII.) 54) Sed et hoc studiosum Bobis esse uolumus, ut si quid in ueteribus non bene positum libris inueniatis, uel 55) aliquod superfluum, uel 56) minus perfectum est, repleatis: et omne opus moderatum et quam pulcherrimum ostendatis, hoc etiam nihilo minus obseruando, ut si aliquid in ueteribus legibus uel constitutionibus, quas antiqui in suis libris 57) imsuerunt, non recte scriptum 58) inueniatis

missa negatione: *qui subtiliter*. Basileensis duplicem negationem habet: *qui non insubtiliter*. Sane haud temere negatiua per emendationem adiecta uidetur. Et sic Papinianus in *l.* 11. *D. de Legat.* 1. *Denique Iulianus non insubtili ratione motus.* Vlpianus in *l.* 7. §. 6. *D. de pactis: Quod non insubtiliter dici potest.* Conferri omnino merentur, quae Cl. Iauchius ad hunc locum notauit, *de Negationibus Pandectarum, Cap. II. p.* 8. *& Cap. XVI. p.* 292.

54. *Sed & hoc*) Codex Basil. *sed hoc.*

55. *aliquod superfluum*) Codex uterque: *aliquid superfluum.*

56. *minus perf. est*) Ita Gronouius restituit *p.* 18. abiecto, ut ait, centone, quem Taurellus hic ab Haloandro insertum inter stellulas exhibuit: *minus perfectum: * superuacua longitudine sensata & quod imperfectum * est.* Sequutus autem fuit Taurellus, non Haloandrum, sed integriorem huius epistolae editionem in Codice. Et habet uterque Codex noster haec uerba, excepto quod Moguntinus legit: *superuacua similitudine.*

57. *imsuerunt*) i. e. *insuerunt.* Gronouius *p.* 20. Taurellus: *imposuerunt.* Et sic uterque Codex.

58. *inueniatis*) Codex Mogunt. *inueniatur:* Basil. *inueniatis, hoc reformetis.*

tis: et hoc reformetis, et ordini moderato tradatis. ut hoc uideatur esse uerum et optimum, et quasi ab initio scriptum, quod a Bobis electum, et ibi positum fuerit. et nemo ex comparatione ueteris uoluminis quasi uitiosam scripturam arguere audeat. cum enim lege antiqua, quae regia 59) nuncupabatur, omne ius omnisque potestas populi Romani in INperatoriam 60) translata sunt potestatem: nos 61) uero sanctionem omnem non 62) diuidimus in alias et alias conditorum partes, sed totam nostram esse uolumus: 63) quid possit antiquitas nostris legibus 64) abrogare. Et 65) in tantum uolumus

59. *nuncupabatur*) Cod. Basil. *nuncupatur.*

60. *translata sunt*) Cod. Mogunt. *translata sit:* Basil. *trensłata sint.*

61. *nos uero*) Cod. Mogunt. omittit particulam *uero.*

62. *diuidimus*) Idem Codex: *diuisimus.*

63. *quid possit. antiquit.*) Vterque Codex: *ne quid possit:* sine interrogationis nota, quam Taurellus inseruit, quem Russardus & ceteri editores sequuti sunt. Conf. Cl. Iauchius *de Negation. Pandect. Cap. XVI. pag.* 239. Nihil hic Gronouius, scilicet Taurello fauens, qui Florentinam lectionem hoc loco tuetur. Sed adsentior utique Iauchio negatiuam inferenti.

64. *abrogare*) Idem Cl. Iauchius *l. c. p.* 240. scribendum putat: *obrogare:* sed frustra. Ita enim Modestinus in *l.* 102. *de Verb. signif. Abrogatur legi, cum prorsus tollitur.* Et sic utique loquutos esse ueteres: *abrogare legibus:* pluribus exemplis confirmat Petr. Pithoeus *ad Collat. Legum Mosaic. & Rom. tit.* 4.

65. *& in tantum uolum.*) Cod. Basil. *& interim uolumus.*

mus eadem omnia, cum repoſita ſunt, optinere: 66) ut etſi aliter fuerant apud ueteres conſcripta, in contrarium autem 67) inpoſitione inueniantur: nullum crimen ſcripturae imputetur: ſed noſtrae electioni hoc 68) adſcribatur.

§. VI. (*Vulg.* §. VIII.) Nulla itaque in omnibus praedicti codicis membris antinomia, ſic enim a uetuſtate graeco Bocabulo nuncupatur, aliquem ſibi uindicet locum: ſed ſit una concordia, una conſequentia, aduerſario nemine conſtituto. (*Vulg.* §. IX.) Sed et ſimilitudinem, ſecundum quod dictum eſt, ab huiuſmodi conſummatione uolOmus exulare: et ea quae ſacratiſſimis conſtitutionibus, quas in codicem noſtrum 69) redegimus, cauta ſunt, 70) iterum poni ex uetere iure non concedimus: cum Diualium conſtitutionum ſanctio ſufficit ad eorum auctoritatem: niſi 71) forte uel propter diuiſionem,

66. *ut etſi aliter*) Vterque Codex: *ut ſi aliter*: & poſtea Moguntinus: *fuerint*.

67. *inpoſitione*) Gronou. *p.* 49. Taurellus in margine: † *in compoſitione*: & ſic uterque Codex.

68. *adſcribatur*) Codex Mogunt. *aſſcribat*; memor forte eius, quod paulo ante praeceſſerat: *arguere audeat*.

69. *redegimus*) Codex Baſil. *redigimus*.

70. *iterum poni*) Codex Mog. *item poni*.

71. *niſi forte uel propt. diuiſ.*) Codex Mogunt. *niſi forte propter diuiſionem*. Baſil. *niſi forte uel propter eorum diuiſionem*.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1844784568/phys_0149
DFG

nem, uel 72) propterletionem uel propter pleniorem indaginem hoc contigerit. et hoc tamen perraro, ne ex continuatione huiusmodi lapsus oriatur aliquid in tali prato spinosum.

§. VII. (*Vulg.* §. X.) Sed et si quae leges in ueteribus libris positae iam 73) in desuetudinem abierunt, nullo modo uoVis easdem ponere permittimus: cum haec tantummodo optinere uolumus, quae uel iudiciorum frequentissimus ordo exercuit, uel longa consuetudo huius almae urbis comprobauit, secundum Saluii Iuliani scripturam, quae 74) indicat debere omnes ciuitates consuetudinem Romae 75) sequi, quae caput est orbis terrarum, non ipsam alias ciuitates. Romam autem intellegendum 76) est

72. *propterletionem*) Sic manuscriptus Florentinus. Gronouius interpretatur *propter lectionem* aut *electionem*, p. 30. Taurellus edidit: *propteRepletionem*: sequutus fidem Codicis Iustiniani. Ibi Moguntinus meus: *aut propter repletionem*: Basileensis: *uel propter repletionem.*

73. *in desuetudinem*) Codex Mogunt. *iam per desuetudinem.*

74. *indicat*) Codex Basileensis: *iudicat.*

75. *sequi, quae caput*) Codex Mogunt. *sequi, & leges, quæ caput &c.* Et sic uulgo in Codice exhibetur, ut uncinulis tamen includantur ista: *& leges*: tanquam superflua & a sciolo quodam temere adiecta. Codex Basileensis corrumpit illud glossema in: *& legere.*

76. *intellegendum est*) Codex Moguntinus omittit uerbum substantiuum. Vulgo in Codice edunt: *intelligimus.*

est non solum ueterem, 77) sed etiam regiam nostram, quae Deo propitio cum melioribus condita est auguriis.

§. VIII. (*Vulg.* §. XI.) 78) Ideo iubemus duobus istis codicibus omnia gubernari: uno constitutionum, altero iuris enucleati, 79) et in futurum codicem compositi: uel si quid aliud a nobis fuerit promulgatum institutionum uicem optinens, ut rudis animus studiosi simplicibus enutritus, facilius ad altioris prudentiae redigatur scientiam.

§. IX. (*Vulg.* §. XII.) Nostram autem consummationem, 80) quae uobis Deo adnuente 81) componetur, digestorum uel 82) Pandectarum nomen 83) habere sancimus. 84) nullis iuris peritis in posterum audentibus commentarios illi applicare, et uerbositate sua supradicti codicis compendium confundere: quemadmodum 85) in anti-

77. *sed etiam*) Moguntinus inepte: *etiam sed.*

78. *Ideo iubemus*) Idem Codex: *Ideoque iubemur.*

79. *& in futurum Cod. compos.*) Cod. Mogunt. *& in futuro Codice componendi:* Basil. *& futuro codice componendi.*

80. *quae uobis*) Codex Mogunt. *quæ a nobis*, Basil. *quæ a uobis.*

81. *componetur*) Codex Basil. *componitur.*

82. *uel Pandectarum*) Codex Mog. *& Pandectarum:* Basil. *seu Pandectarum.*

83. *habere*) Codex Moguntinus omittit hoc uerbum.

84. *nullis iuris perit.*) Idem Codex: *in illis iuris peritis.*

85. *quemadm. in antiqu. fact.*)

quioribus factum est, cum per contrarias interpretantium sententias totum ius paene conturbatum est. Sed 86) sufficiat per indices tantummodo 87) titulorum suptilitatem 88) quaedam admonitoria 89) eius facere, nullo ex interpretatione eorum uitio oriundo.

§. X. (*Vulg.* §. XIII.) Ne autem per scripturam 90) aliqua fiat in posterum dubitatio: iubemus non per 91) siNplorum captiones et compendiosa aenigmata, quae multas per se et per suum uitium antinomias induxerunt, eiusdem codicis textum conscribi: etiam si numerus librorum significatur, aut

fact.) Vterque Codex: *quemadmodum & in antiquioribus temporibus factum est.*

86. *sed sufficiat*) Codex Basil. *sed & sufficiat.*

87. *tantumm. titulor.*) Expuncta copulatiua, quae Florentiae abest. Gronou. *p.* 24. Taurellus: *tantummodo et titulorum.* Sic pariter uterque Codex.

88. *suptilitatem quaedam*) Gronouius *p.* 22. expulsis sequentibus: * *quae παρατιτλα nuncupantur* * quae uerba ab Haloandro accepta Taurellum inseruisse ait. Verum & hic sequitur Taurellus fidem Codicis in hac Constitutione, ubi haec extant, merito culpandus, quod infartum istud additis signis tanquam ab antiqua manu adiectum notauerit. Barbare uero & stolide uterque Codex noster, Moguntinus: *quae paraticia nuncupantur:* Basileensis: *quae paratithica.*

89. *eius*) Basileensis Codex: *eis.*

90. *aliqua*) Idem Codex: *aliquam.*

91. *siNplorum*) Taurellus in margine: † *singulorum.* Vterque Codex: *signorum.*

aut aliud quicquam. nec 92) etenim per ſpecialia 93) ſigla numerorum manifeſtari, ſed per litterarum conſequentiam explanari concedimus.

§. XI. (*Vulg.* §. XIV.) 94) Haec igitur omnia Deo placido facere tua prudentia una cum aliis facundiſſimis 95) uiris ſtudeat, et tam ſuptili, 96) quamquam celeRimo fini tradere: ut codex conſummatus, et in quinquaginta libros digeſtus, nobis offeratur in maximam et aeternam rei memoriam, Deique omnipotentis 97) prudentiae argumentum, 98) noſtrique Imperii ueſtrique miniſterI gloriam. Data octauodecimo calendis Ianuariis Lampadio et Oreſte uiris clariſſimis conſulibus.

99) LEGE FELICITER.

92. *etenim per*) Codex Mogunt. *etenim hoc per.* Baſil. *enim per.*

93. *ſigla*) Vterque Codex: *ſigna.*

94. *Haec igitur &c.*) Codex Baſil. *Omnia igitur Deo placito.*

95. *uiris*) Idem Codex omittit hoc nomen.

96. *quamquam celeRimo*) Sic Florentiae. Gronou. *p.* 31. Taurellus: *quam celeRimo.* Vterque Codex: *quam celerrimo.*

97. *prudentiae*) Taurellus in margine: † *prouidentiae:* & ſic Codex Moguntinus. Corrupte Baſileenſis: *prouidentiam argumentum.*

98. *noſtriq. imp. ueſtriq.* &c.) Vterque Codex: *noſtri Imperii, noſtrique miniſterii.*

99. *LEGE FELIC.*) Taurellus ſolum poſuerat FELICITER, omiſſo priore uerbo, quod Gronouius reſtituit, *p.* 32.

D. IVSTINIANI DE PANDECTIS EPISTOLA II.

IMPERATOR CAESAR, FLAVIVS, IVSTINIANVS, ALAMANNICVS, GOTTHICVS, FRANgICVS, GERMANICVS, ANTICVS, ALANICVS, VANDALICVS, Africanus, pius, felix, inclytus, uictor ac triumphator semper Augustus Theophilo, Dorotheo, Theodoro, Isidoro, et Anatolio, et Thalleleo, et Cratino uiris illustribus 1) antecessoribus, et Salaminio uiro disertissimo antecessori Salutem.

OMNEM reipublicae nostrae sanctionem iam esse purgatam et compositam tam in quattuor libris institutionum seu elementorum, quam in quinquaginta digestorum seu pandectarum, nec non

1. *antecessoribus*) Ex more Iustiniani reponendum uideri *et antecessoribus*, et sic manuscriptum antiquum Florentiae ad S. Crucis legere, obseruat Gronouius, *p.* 54.

non in duodecim Imperialium constitutionum, quis amplius 2) quam uos cognoscit, et omnia quidem quae oportuerat et ab initio mandare, et post omnium consummationem, factum libenter admittentes, definire, iam per nostras orationes tam graeca lingua quam Romanorum, quas aeternas fieri optamus, 3) explicita? Sed cum uos 4) professores legitimae scientiae constitutos etiam hoc oportuerat scire, quid et in quibus temporibus tradi necessarium studiosis credimus, ut ex hoc optimi atque eruditissimi efficiantur: ideo praesentem diuinam orationem ad uos praecipue faciendam existimamus, quatenus tam prudentia uestra, quam ceteri anteceſſores qui eandem artem in omne aeuum exercere maluerint, nostris regulis obseruatis, inclutam uiam eruditionis legitimae possint ambulare. Itaque dubio procul quidem est, 5) necesse esse institutiones in omnibus studiis primum sibi

2. *quam uos*) Haloander: *quam nos*. Contra id, quod dicere intendit Iustinianus.

3. *explicita*) Gronouius *p.* 34. omisso uerbo substantiuo *sunt*: et apposita interrogationis nota. Taurellus: *explicita* * *sunt* *.

4. *uos professores*) Gronou. *p.* 35. electa mantissa Haloandrina, quam adoptauerat Taurellus: *uos* * *et omnes postea* * *professores*.

5. *necesse esse*) quamuis uerbum substantiuum forsan omittatur rectius. Gronou. *p.* 36.

uindicare locum, utpote prima ueſtigia 6) Qüius ſcientiae mediocriter tradentes. ex libris autem quinquaginta noſtrorum digeſtorum ſex et triginta tantummodo ſufficere *tam * ad ueſtram expoſitionem quam ad iuuentutis eruditionem iudicamus. Sed ordinem eorum et tramites per quos ambulandum eſt, manifeſtare, tempeſtiuum nobis eſſe uidetur: et uos in memoriam quidem eorum quae antea tradebatis, redigere: oſtendere autem nouellae noſtrae compoſitionis tam utilitatem quam tempora, ut nihil huiuſmodi artis relinquatur incognitum.

§. I. Et antea quidem, quemadmodum et ueſtra ſcit prudentia, ex tanta legum multitudine, quae in librorum quidem duo milia, uerſuum autem tricies centena extendebatur: nihil aliud niſi ſex tanDummodo libros, et ipſos confuſos, et iura utilia in ſe perraro habentes, a uoce magiſtra ſtudioſi accipiebant, ceteris iam deſuetis, iam omnibus inuiis. In his autem ſex libris Gaii noſtri inſtitutiones et libri ſingulares quattuor,

6. *Quius*) addito in fine orationis ſigno exclamationis: *cuius ſcientiae mediocriter tradentes!* i. e. quantae, qualis! Gronou. *p.* 36. Forſitan legendum: *quuius quuius*, i. e. *cuius cuius ſcientiae*. Idem *p.* 38. Taurellus in margine notat: † *Quiuſque*; quod in contextum recepit Haloander.

or, primus de illa uetere re uxoria, secundus de tutelis et tertius nec non quartus de testamentis et legatis connumerabantur: quos nec totos per 7) sequentias accipiebant, sed multas partes eorum quasi superuacuas praeteriVant. Et primi anni hoc opus legentibus tradebatur non secundum edicti perpetui ordinationem, sed passim, et quasi per saturam collectum, et utile cum inutilibus mixtum, maxima parte inutilibus deputata. In secundo autem anno praeposterа ordinatione habita, * prima * pars legum eis tradebatur, quibusdam certis titulis ab ea exceptis: cum erat enorme post institutiones aliquod legere, quam quod in legibus et primum positum est, et istam nuncupationem meruerit. Post eorum uero lectionem, neque illam continuam, sed particularem, et ex magna parte inutilem constitutam, tituli alii eis tradebantur tam ex illa parte legum quae de iudiciis nuncupatur, et ipsis non 8) continuam, sed raram utilium recitationem praebentibus, quasi cetero toto uolumine inutili constituto: quam

7. *sequentias*) Taurellus in margine: † *consequentias.*

8. *non continuam*) Taurellus: * *non* * *continuam*; tanquam si negatio esset ab aliena manu. Gronou. *p.* 38. Consentit Cl. Iauchius *de Negat. Pandectar. Cap. I. p.* 2.

ex illa quae de rebus appellatur, septem libris semotis, et in his multis partibus legentibus inuiis, utpote non idoneis, neque aptissimis ad eruditionem constitutis. In tertio autem anno quod ex utroque uolumine, id est de rebus uel de iudiciis, in secundo anno non erat traditum, accipiebant secundum uicissitudinem utriusque uoluminis: et ad sublimissimum Papinianum eiusque responsa 9.) --- aperiebatur. Et ex praedicta responsorum consummatione, quae decimo et nono libro concludebatur, octo tantummodo libros accipiebant: nec eorum totum corpus eis tradebatur, sed pauca ex multis, 10.) ea breuissima ex amplissimis: ut adhuc sitientes ab eis recederent. His igitur solis a professoribus traditis, Pauliana responsa per semetipsos recitabant: neque haec in solidum, sed per iNperfectum, et iam quodammodo 11.) male consue-

9. *responsa - - - aperiebatur*) Taurellus: *responsa iter * eis * aperiebatur*. Sed *iter* non minus est ab aliena manu additum, quam *eis*: ideoque Gronouius probe, aliis ex locis huius epistolae et procem. Inst. emendat: *eiusque responsa uia aperiebatur*, p. 39.

10. *ea*) Taurellus in margine: † *et ea*.

11. *male consuetum*) *per imperfectum, etiam quodammodo male consutum inconsequentiae cursum*: eleganti coniectura legit Gronouius p. 21. In eadem certe translatione *consutos dolos* dicit Plautus, *Amphitr. Act. I. sc. 1. u. 211.*

Nae

ſuetum inconſequentiae curſum. Et 12.) hinc erat in quartum annum omnis antiquae prudentiae finis: ut 13.) quis ea quae recitabant, enumerare mallet, computatione habita inueniet ex tam immenſa legum multitudine uix uerſuum ſexaginta milia 14.) eoSuae notionis perlegere: omnibus aliis deuiis et incognitis conſtitutis. et tunc tantummodo ex aliqua minima parte recitandis, quotiens uel iudiciorum uſus hoc fieri coëgerit, uel ipſi magiſtri legum aliquid ex his perlegere feſtinabitis, ut ſit uobis aliquid amplius diſcipulorum peritia. Et haec quidem fuerant antiquae eruditionis monumenta, ſecundum quod et ueſtro teſtimonio confirmatur.

§. II. Nos uero tantam penuriam legum inuenientes, et hoc miſerrimum iudicantes, legitimos 15.) thenſauros uolentibus aperimus, quibus per ueſtram prudentiam quodammodo erogatis, ditiſſimi legum oratores efficiantur diſcipuli. Et primo quidem anno

Nae tu iſtic hodie malo tuo compoſitis *mendaciis Aduenisti*, *audaciae columen*, conſutis *dolis*.

12. *Et hinc*) Taurellus in margine: *Et † is hinc.*

13. *ut quis*) Taurellus: *ut (ſi) quis:* particulam ſenſus perficiendi cauſa a ſe adiectam ſignificans.

14. *eoSuae*) Taurellus in margine: † *eos uacue.*

15. *thenſauros*) Vid. Barn. Briſſonius παρέργων lib. ſing. §. 24.

no noſtras hauriant inſtitutiones, ex omni pene ueterum inſtitutionum corpore elimatas, et ab omnibus turbidis fontibus in unum liquidum ſtagnum conriuatas tam per Tribonianum uirum magnificum, magiſtrum et exquaeſtore ſacri palatii noſtri et exconſule, quam duos e uobis, id eſt Theophilum et Dorotheum facundiſſimos anteceſſores. In reliquam uero anni partem ſecundum optimam conſequentiam primam legum partem eis tradi ſancimus, quae graeco uocabulo πρωτα nuncupatur, qua nihil eſt anterius: quia quod primum eſt, aliud ante ſe habere non poteſt. et haec eis exordium et finem eruditionis primi anni eſſe decernimus. 16.) *Cuius* auditores non uolumus uetere tam friuolo quam ridiculo cognomine Dupondios appellari, ſed Iuſtinianos nouos nuncupari, et hoc in omne futurum aeuum optinere cenſemus: ut hi qui rudes adhuc legitimae ſcientiae adſpirent, et ſcita prioris anni accipere maluerint, noſtrum nomen

16. * *Cuius* * *auditores*) Sic Taurellus edidit. Gronouius tamen illud *cuius* ab aliena manu ſuprascriptum, tanquam inconcinnum, et quod nequeat ad antecedens aliquod referri, eiiciendum cenſuit, *p.* 42. Verum optime referetur τὸ *cuius* ad proxime antecedens *primi anni*. Ita enim et infra §. 4. *tertii anni auditores:* et §. 5. *anni quarti ſtudioſos.*

nomen mereant: quia ilico tradendum eis est primum uolumen, quod nobis emanauit auctoribus: antea enim dignum antiqua confusione legum cognomen habebant. cum autem leges iam clare et diluciTe animis eorum tradendae erant, necesse erat eos et cognomine mutato fulgere.

§. III. In secundo autem anno, per quem ex edicto eis nomen antea positum, et a nobis probatur, uel de iudiciis libros septem, uel de rebus octo accipere eos sancimus, secundum quod temporis uicissitudo indulserit, quam intactam obseruari praecipimus. Sed eosdem libros de iudiciis uel de rebus totos, et per suam consequentiam accipiant, nullo penitus ex his derelicto: quia omnia noua pulchritudine sunt decorata, nullo inutile, nullo desueto in his penitus inueniendo. Alterutri autem eorundem uolumini, id est de iudiciis uel de rebus, adiungi in secundi anni audientiam uolumus quattuor libros singulares, quos ex omni compositione quattuordecim librorum excerpsimus. ex collectione quidem tripertiti uoluminis, quod pro dotibus composuimus, uno libro excerpto: ex duobus autem de tutelis et curationibus, uno: 17.) ut ex gemino uolumine de testamentis, uno: et

17. *ut ex gemino*) Taurellus in margine: † *et ut.*

et ex septem libris de legatis et fideicommissis, et quae circa ea sunt, simili modo uno tantum libro. hos igitur quattuor libros, qui in primordiis singularum memoratarum compositionum positi sunt, tantummodo a uobis eis tradi sancimus, ceteris decem oportuno tempore conseruandis: quia neque possibile est, neque anni secundi tempus sufficit ad istorum quattuordecim librorum magistra uoce eis tradendorum recitationem.

§. IV. Tertii insuper anni doctrina talem ordinem sortiatur, ut siue libros de iudiciis, siue de rebus secundum uices legere eis sors tulerit: concurrat eis tripertita legum singularium dispositio, et in primis liber singularis ad hypothecariam formulam, quem oportuno loco, in quo de hypothecis loquimur, posuimus: ut cum aemula sit pigneraticiis actionibus quae in libris de rebus positae sunt, non abhorreat eorum uicinitatem: cum circa easdem res ambabus paene idem studium est. Et post eundem librum singularem alius liber similiter eis aperiatur, 18) quem ad edictum aedilium, et de redhibitoria actione, et de euictionibus, nec non

18. *quem ad edictum*) Haloander intrusit: *quem de usuris, item alius, quem ad edictum* etc. prorsus inconsulte.

non duplae stipulatione composuimus. cum enim quae pro emptionibus et uenditionibus legibus cauta sunt, in libris de rebus praefulgent: hae autem omnes quas diximus definitiones in ultima parte prioris edicti fuerant positae: necessario eas in anteriorem locum transtulimus, ne a uenditionibus, quarum 19.) ministrae sunt, uicinitate ulterius deuagentur. Et hos tres libros cum acutissimi Papiniani lectione tradendos posuimus, quorum uolumina in tertio anno studiosi recitabant, non ex omni eorum corpore, sed sparsim pauca ex multis et in hac parte accipientes. Vobis autem pulcherrimus Papinianus non solum ex responsis quae in decem et nouem libros composita fuerant, sed etiam ex libris septem et triginta quaestionum, et gemino uolumine definitionum, nec non de adulteris, et paene omni eius expositione in omni nostrorum digestorum ordinatione praefulgens propriis partibus praeclarus sui recitationem praebebit. Ne autem tertii anni auditores, quos Papinianistas uocant, nomen et festiuitatem eius amittere uideantur: ipse ite-

19. *quarum ministrae*) Taurellus: *quarum quasi ministrae sunt*: absque indicio extraneae scripturae, quae illud *quasi* supra posuit, quod tamen, ut abundans, recte negligitur. Gronou. p. 43.

iterum in tertium annum per belliſſimam machinationem introductus eſt. librum enim hypothecariae ex primordiis plenum eiuſdem maximi Papiniani fecimus lectione, ut et nomen ex eo habeant, et Papinianiſtae uocentur et * 20.) eius reminiſcentes et laetificentur et * feſtum diem, quem cum primum leges eius accipiebant, celebrare ſolebant, peragant: et maneat uiri ſublimiſſimi praefectorii Papiniani et per hoc in aeternum memoria, hocque termino tertii anni doctrina concludatur.

§. V. Sed quia ſolitum eſt anni quarti ſtudioſos graeco et conſueto quodam uocabulo λυτας appellari: habeant quidem ſi maluerint hoc cognomen. pro reſponſis autem prudentiſſimi Pauli, quae antea ex libris uiginti tribus uix in decem et octo recitabant, per iam expoſitam confuſionem eos legentes: decem libros ſingulares qui ex quattuordecim, quos antea enumerauimus, ſuperſunt, ſtudeant lectitare: multo maioris et amplioris prudentiae ex eis thenſaurum conſecuturi, quam quem ex Paulianis habebant reſponſis. Et ita omnis ordo librorum

20. * *eius reminiſcentes etc.*) Videtur haec inter ſtellulas poſita, ſane abundantia, recens manus adleuiſſe propter ea, quae mox ſequuntur: *et maneat uiri ſublimiſſimi praefectorii Papiniani et per hoc in aeternum memoria.*

rum singularium a nobis compositus, et in decem et septem libros partitus eorum animis iNponetur: quem in duabus digestorum partibus posuimus, id est, quarta et quinta, secundum septem partium distributionem. et quod iam primis uerbis orationis nostrae posuimus, uerum inueniatur: ut ex triginta sex librorum recitatione fiant iuuenes perfecti, et ad omne opus legitimum instructi, et nostro tempore non indigni. duabus aliis partibus, id est sexta et septima nostrorum digestorum quae in quattuordecim libros compositae sunt, eisdem positis, ut possint postea eos et legere, et in iudiciis ostendere. Quibus si bene sese imbuerint, et in quinti anni, quo prolutae nuncupantur, metas, constitutionum codicem tam legere quam suptiliter intellegere studeant: nihil eis legitimae scientiae deerit, sed omnem ab initio usque ad finem suis animis aNplectantur, et quod paene in alia nulla euenit arte, cum etsi uilissimae sint, omnes tamen infinitae sunt, haec sola scientia habeat finem mirabilem, in praesenti tempore a nobis sortita.

§. VI. Discipuli igitur, omnibus eis legitimis arcanis reseratis, nihil habeant absconditum: sed omnibus perlectis, quae nobis per Triboniani uiri excelsi ministerium, ce-

terorumque compoſita ſunt, et oratores maximi, et iuſtitiae ſatellites inueniantur, et iudiciorum optimi tam athletae quam gubernatores in omni loco aeuoque felices.

§. VII. Haec autem tria Bolumina a nobis compoſita tradi eis tam in regiis urbibus, quam in 21.) Beryticum pulcherrima ciuitate, quam et legum nutricem bene quis appellet, tantummodo uolumus, quod iam et a retro principibus conſtitutum eſt, et non in aliis locis quae 22.) maioribus tale non meruerint priuilegium. quia audiuimus 23.) quot iam in Alexandrina ſplendidiſſima ciuitate, et in Caeſarienſium, et in aliis quoſdam imperitos homines deuagare, et doctrinam diſcipulis adulterinam tradere. quos ſub hac interminatione ab hoc conamine repellimus, ut ſi auſi fuerint in poſterum in hoc perpetrare, et extra urbes regias,

21. *Beryticum*) Ita manuſcriptus Florentinus. Legendum *Berytieum*, i. e. Βηρυτιέων. Taurellus edidit: *Berytienſium*. Gronou. *p.* 46. Poſſit et legi *Berytium*: quemadmodum eſt in epiſtola Graeca: περιφανῆ τῶν Βηρυτίων μητρόπολι.

22. *quae maioribus*) Taurellus: *quae * a * maioribus*. Praepoſitiones omittere ſolenne eſt Iuſtiniano. Gronou. *p.* 48. *ſ.*

23. *quot iam*) Sic in exemplari Florentino. Male igitur Taurellus: *Quia audiuimus* etiam *in Alexandrina ſplendidiſſima ciuitate, et in Caeſarienſium, et in aliis, quoſdam* etc. Tollendum enim et comma, poſt *aliis* male poſitum. Gronou. *p.* 51. *ſ.*

regias, et Berytiensium metropolim hoc facere: denarum librarum auri poena plectentur, et relciantur ab ea ciuitate, in qua non leges docent, sed in leges committunt.

§. VIII. Illud autem, quod iam tum ab initio hoc opus mandantes in nostra oratione, et post completum in alia nostri numinis constitutione scripsimus, et nunc utiliter ponimus: ut nemo audeat eorum qui libros conscribunt, figla in his ponere, et per compendium ipsi legum interpretationi uel compositioni maximum adferre discrimen. scituris omnibus librariis qui hoc in posterum commiserint, quod post criminalem poenam aestimationem libri in duplum domino eius, si nescienti dederint, inferre compellentur. cum et ipse qui talem librum comparauerit, 24.) nihilo eum habebit, nemine iudice ex tali libro fieri recitationem concedente, sed 25.) pro non proscripto eum habere 26.) disponente.

24. *comparauerit, nihilo etc.*) Haloander: *pro nihilo eum habebit:* et postea: *sed pro non scripto eum haberi:* facta particulae *pro* traiectione. Idque editio Bataua recepit: sed rectius retinetur *nihilo habere.* Gronou. *p.* 50.

25. *pro non proscripto*) Taurellus edidit: *pro non - pro*) *scripto:* superfluum hac nota indicans. Optime Gronouius *l. c.* legit *pro non prorsus scripto*, auctoritate potissimum epistolae Graecae: ἀντὶ μηδὲ γεγραμμένου παντελῶς ἔξει.

26. *habere*) Sic Florentiae. Gronou. *p.* 25. Taurellus: *haberi.*

§. IX. Illud uero ſatis neceſſarium conſtitutum cum ſumma interminatione edicimus, ut nemo audeat neque in hac ſplendidiſſima ciuitate neque in Berytienſium pulcherrimo oppido ex his qui legitima peragunt ſtudia, indignos et peſſimos, immo magis ſeruiles, et quorum effectus iniuria eſt, ludos exercere, et alia crimina uel in ipſos profeſſores, uel in ſocios ſuos, et maxime in eos qui rudes ad recitationem legum perueniunt, perpetrare. 27.) quid enim ludos appellet eos, ex quibus crimina oriuntur? hoc etenim fieri nullo patimur modo: ſed optimo ordini in noſtris temporibus et hanc partem tradimus, et toto poſtero tranſmittimus ſaeculo: cum oportet prius 28.) animas, et poſtea linguas fieri eruditos.

§. X. Et haec omnia in hac quidem florentiſſima ciuitate uir excelſus praefectus huius almae urbis tam obſeruare quam uindicare, prout delicti tam iußenum quam ſcriptorum qualitas exegerit, curae habebit. In Berytienſium autem ciuitate tam uir cla-

27. *quid enim*) Taurellus in margine: † *quis.*

28. *animas et poſtea linguas*) Graeca loquendi ratione, et Latinis poëtis praeſertim familiari. Male igitur Haloander haec mutauit ſcribens: *animis* et *linguis*. Vid. Ant. Auguſtinus *Emendat. lib. II. c. 1.*

clariſſimus praeſes Poenicae maritimae, quam beatiſſimus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, et legum profeſſores.

§. XI. Incipite igitur legum doctrinam eis Dei gubernatione tradere, et uiam aperire quam nos inuenimus: quatenus fiant optimi iuſtitiae et reipublicae miniſtri, et uos maximum decus in omne ſaeculum ſequatur, quia ueſtris temporibus talis legum inuenta eſt permutatio, qualem et apud Homerum patrem omnis uirtutis Claucus et Diomedes 29.) interfaciunt, diſſimilia permutantes:

χρυσεα χαλκειων, εκατονβοια εννεαβοιων.

Quae omnia optinere ſancimus in omne aeuum, ab omnibus tam profeſſoribus quam legum auditoribus, et librariis et ipſis et iudicibus obſeruanda. Data ſeptimodecimo Kalendas Ianuarias Conſtantinopoli domino noſtro Iuſtiniano perpetuo Auguſto ter conſule.

29. *interfaciunt*) Taurellus edidit: *inter ſe faciunt*. Sed uoculae *ſe* nullum ueſtigium eſt in manuſcripto Florentino. Gronou. *p.* 63.

D. IVSTINIANI DE PANDECTIS EPISTOLA III.

DE CONFIRMATIONE DIGESTORVM.

IN NOMINE DOMINI DEI NOSTRI IHESV CHRISTI IMPERATOR CAESAR FLAVIVS IVSTINIANVS ALAmannicus Gotthicus Francicus Germanicus Anticus Alanicus Vandalicus Africanus Pius Felix Inclutus Victor ac triumphator semper Augustus ad Senatum et omnes populos.

TANTA circa nos diuinae humanitatis est 1) prouidentia, ut semper aeternis liberalitatibus nos sustentare dignetur. post Vella enim Parthica aeterna pace sopita, 2) postque Vandalicam gentem ereptam, 3) et Carthaginem, immo magis omnem LibVam Romano imperio iterum socia-

1. *prouidentia*) Codex Moguntinus in l. 2. de V. I. E. *prudentia*.
2. *postque*) Idem Codex: *post*.
3. *ereptam et*) Codex Basileensis: *ereptam Chartaginem*.

sociatam: et leges antiquas iam senio 4) praegrauatas per nostram uigilantiam praebuit in 5) nauam pulchritudinem, et moderatum peruenire compendium. quod nemo ante nostrum imperium 6) umquam sperauit, neque humano ingenio possibile esse penitus existimauit. erat enim mirabile Romanam sanctionem ab urbe condita usque ad nostri imperii tempora, quae paene in mille et quadringentos annos 7) concurrunt, intestinis proeliis uacillantem, hocque et in Imperiales constitutiones extendentem, in unam reducere consonantiam: ut nihil neque contrarium neque idem neque simile in ea inueniatur, et ne geminae leges pro rebus singulis positae usquam appareant. namque hoc 8) caelestis quidem prouidentiae peculiare fuit: humanae uero inuecillitati nullo modo possibile. Nos itaque more solito ad immortalitatis respeximus praesidium, et summo numine inuocato Deum auctorem et totius operis praesulem fieri optauimus: et omne studium Triboniano uiro excelso, magistro officiorum, et

 9) ex-

4. *praegrauatas*) Cod. Basil. *et grauatas.*

5. *nauam*) Taurellus in margine: †*nouam*; et sic ita que Codex.

6. *umquam*) Cod. Basil. *nunquam.*

7. *concurrunt*) Cod. Bas. *decurrunt.*

8. *caelestis*) Cod. Mog. *caelesti*: ac dein: *prudentiae.*

9) exquaestore sacri palatii et exconsule credidimus, eique omne ministerium 10) huiuscemodi ordinationis imposuimus, ut ipse una cum aliis 11) uiris illustribus et prudentissimis 12) IIIRIS nostrum desiderium adimpleret. 13) nostra quoque maiestas semper inuestigando et 14) perscrutando ea quae ab his componebantur, quidquid dubium et incertum inBeniabatur, 15) hoc nOmine caelesti erecta emendabat, et in competentem formam redigebat.

§. I. Omnia igitur confecta sunt, domino et Deo nostro Ihesu Christo possibilitatem tam nobis quam nostris in hoc satellitibus praestante. Et principales quidem constitutiones duodecim libris digestas, iam ante 16) in codicem nostro nomine praefulgen-

9. *exquaestore*) Vterque Codex: *exquæstori sacri palatii nostri et consuli.*

10. *huiuscemodi*) Cod. Mog. *huiusmodi.*

11. *uiris*) Taurellus signum uerbi abundantis circumdedit: - *uiris*). Haloander uero hoc uerbum eiecit, quod omnino retinendum, neque ut superfluum notandum erat. Gronou. *p.* 53.

12. IIIRIS) Sic Florentiae, i. e. *prudentissimis iuris.* Gronou. *p.* 54. Codex Moguntinus: *prudentissimis uiris.* Codex Basileensis, his plane omissis, edit: *cum aliis illustribus uiris nostrum* etc.

13. *nostra quoque*) Cod. Basil. *Et nostra quoque.*

14. *perscrutando*) idem Codex: *scrutando*

15. *hoc nOmine*) Vterque Codex: *cum numine;* et deinde: *recte emendabat;* pro *erecta emendabat.*

16. *in codicem*) Cod. Mog. *in codice nostro nomine præfulgente.*

gentem contulimus. postea uero maximum opus adgredientes, ipsa uetustatis studiosissima opera iam paene confusa et dissoluta, eidem uiro excelso permisimus tam colligere quam certo 17) moderamine tradere. Sed cum omnia percontabamur, a praefato uiro excelso 18) suggestum et duo paene milia librorum esse conscripta, et plus quam 19) trecentiens decem milia uersVm a ueteribus effusa, quae 20) necesse * esset * omnia et legere et perscrutarE, et ex his si quid optimum fuisset, eligere. Quod caelesti fulgore et summae trinitatis fauore confectum est secundum nostra mandata quae ab initio ad memoratum uirum excelsum fecimus: et in quinquaginta libros omne quod utilissimum erat, collectum est: et omnes amViguitates 21) dIcisae, nullo seditioso relicto. nomenque libris iNposuimus digestorum seu pandectarum: 22) qui omnes

17. *moderamine*) Vterque Codex: *moderamini.*

18. *suggestum et*) Cod. Basil. *suggestum est.*

19. *trecent. dec mil.*) Cod. Mogunt. *trecies centena milia.* Codex Basil. *tricieſcentum milia.*

20. *necesse esset*) Codex Basil. exhibet: *necesse est:* et deinde: *praeseruari;* pro: *perscrutari:* utrumque uitiose.

21. *dIcisae, nullo*) Cod. Basil. *decisae sunt nullo* etc.

22. *qui omnes*) Taurellus in margine notat: † *quia:* quod Haloander in contextu posuit,

disputationes et dicisiones in se 23) habent legitimas, et quod undique fuit collectum, hoc 24) in sinus receperunt, in centum quinquaginta paene milia uersum totum opus consummantes. et in septem partes eos digessimus non perperam, neque sine ratione: sed in numerorum naturam et artem respicientes, et consentaneam eis diuisionem partium 25) conficientes.

§. II. Igitur prima quidem pars totius contextus, 26) quae Graeco uocabulo πρωτα nuncupatur, in quattuor libros sepositа est. (*Vulg.* §. III.) Secundus autem articulus septem libros habet, qui de iudiciis 27) appel-

posuit. Nimirum supra uoculam *qui* literam *a* noua manus adiecit. Gronou. *p.* 56. Vterque Codex noster habet: *quia*. Neque uero hic locus facit ad genus masculinum *Pandectarum* probandum, utcunque uera et certa foret lectio *qui omnes;* cum relatiuum commodius referatur ad praecedens *libris*, quam ad *pandectas*. De genere nominis *Pandectarum* pluribus disputat Celeberr. Brencmannus in *Histor. Pandectar. Lib. III. cap.* 6. ubi masculinum quidem praefert, sed nec alterum damnandum censet. Vid. etiam Vir Praecliriss. Eu. Otto ad §. 11. *I. de nupt.* in *not. critic.*

23. *habent*) Cod. Basil. *habeant:* et postea: *nam quod undique.*

24. *in sinus*) Vterque Codex: *in sinus suos receperunt.*

25. *conficientes*) Cod. Basil. *confitentes.*

26. *quae graeco uocab. πρωτα*) Codex Mogunt. *quae grece nuncupatur*, omisso graeco nomine, temporum illorum inimico. Codex Basil. melius: *quae greco uocabulo prota nuncupatur:* et mox: *repositа est.*

27. *appellantur*) Cod. Mogunt. *appellatur.*

pellantur. (*Vulg.* §. IV.) In tertia uero congregatione omnia quae de rebus nominantur, 28) contulimus, octo libris 29) eis deputatis. (*Vulg.* §. V.) Quartus autem locus, qui et totius compositionis quasi 30) quoddam inuenitur umbilicum, octo libros suscepit: in quibus omnia quae ad hypothecam pertinent, reposita sunt, 31) ut non pigneraticia actione in libris de rebus posita multum distarent. Alio libro 32) eodem inserto uolumine, qui 33) aedilicium edictum, et redhibitoriam actionem, et 34) duplae stipulationem, quae de euictionibus proposita est, continet: quia haec omnia titulis emptionum et uenditionum consentanea sunt: et praedictae actiones quasi 35) pedisequae illarum ab initio processerunt, in uetustioris quidem edicti ordinatione in loca deuia et multo distantia deuagantes: per nostram autem prouidentiam his congregatae:

28. *contulimus*) Cod. Basil. *consulimus*.

29. *eis*) Taurellus in margine: † *ei*.

30. *quoddam umbilicum*) Vterque Codex: *quidam umbilicus*. Basileenſis pergit: *reliquos octo libros*.

31. *ut non*) Cod. Moguntinus. *non ut pigneraticia*: Basileenſ. *ut non a pigneraticia*. Vid. Gronou. *p.* 49.

32. *eodem - uolumine*) Vterque Codex: *eidem - uolumini*.

33. *aedilicium edictum*) Moguntinus: *ædiliuum edictum*. Basileenſis: *ædiliuum ædilicium*, omisso τῷ *edictum*.

34. *duplae*) Cod. Moguntinus. *duplam*.

35. *pediſequae*) Cod. Basil. *pediſequa*.

gatae: cum oportuerat ea quae de eodem paene loquuntur, in confinio ponere. Alius itaque liber 36) post duo primos nobis excogitatus est de usuris, et traiecticiis pecuniis, et de instrumentis, et testibus, et probationibus, * nec non praesumtionibus. * et memorati tres singulares libri iuxta compositionem de rebus positi sunt. 37) Post hos si qua de sponsalibus uel nuptiis uel 38) dotibus legibus dicta sunt, reposuimus, tribus librorum uoluminibus ea concludentes. De tutelis autem et curationibus geminos 39) libros conscripsimus. Et memoratam ordinationem octo librorum mediam totius operis reposuimus, omnia undique tam utilissima quam pulcherrima iura continentem.

§. III. (*Vulg.* §. VI.) Quintus autem exoritur nobis digestorum articulus, 40) in quem de testamentis 41) * et * codicillis tam priuatorum quam militum, omne quidquid 42) antiquis dictum, inueniat quis depositum, qui de testa-

36. *post duo*) Vterque Codex: *post duos.*

37. *Post hos*) Cod. Basil. *post hoc si qua de sponsal. et nuptiis.*

38. *dotibus*) Cod. Moguntinus *dotibus uel legibus.*

39. *libros*) Codex Basil. hoc nomen *libros* omittit.

40. *in quem*) Vterque Codex: *in quo.*

41. **et**) Vterque Codex: *uel.*

42. *antiquis dictum*) Vterque Codex: *antiquitus dictum est.* Moguntinus porro interserit particulam *ut: dictum est ut inueniat.*

testamentis appellatur. De legatis autem et fideicommissis quinque librorum numerus adgregatus est. Cumque nihil tam peculiare fuerat, 43.) quam ut legatis quidem legis Falcidiae narratio, fideicommissis autem senatusconsulti Trebelliani: singulis libris 44) utrique eorum applicatis, tota pars quinta in nouem libros coadunata est. Solum autem senatusconsultum Trebellianum ponendum esse 45) existimauimus: captiosas etenim et ipsis ueteribus odiosas Pegasiani senatusconsulti ambages et utriusque 46) senatusconsulti ad se tam superuacuas quam scrupulosas 47) diuersitates respuentes, totum ius super his positum Trebelliano senatusconsulto adiudicauimus. Sed in his nihil de caducis a nobis memoratum est: ne causa quae in rebus non prospere gestis, et 48) tristis temporibus Romanis increbruit calamitatibus, Vello coalescens ciuili, 50) nostris maneat temporibus,

43. *quam ut*) Taurellus apponit indicium superflui: - *ut*).

44. *utrique*) Cod. Basil. *uterque eorum*.

45. *existimauimus*) Vterque Codex: *existimamus*.

46. *senatusconsulti*) Cod. Basil *utriusque senatus ad se*: prorsus inscite: cum scriptum fuisset: *senatusc*.

47. *diuersitates*) idem Codex: *aduersitates*.

48. *tristis*) Vterque Codex: *tristibus*.

49. *increbruit*) Cod. Mogunt. *increbuit*. Basil. *increpuit*.

50. *nostris*) Vterque Codex: *in nostris*. Moguntinus porro: *remaneat*; Basil. *remanet*.

ribus, 51) quae fauor caelestis et pacis uigore firmauit et 52) omnes gentes in 53) Vellicis periculis 54) superposuit: ne luctuosum monumentum laeta saecula inumbrare concedatur.

§. IV. (*Vulg.* VII.) Sexta deinde pars digestorum exoritur, in quibus omnes bonorum possessiones positae sunt, quae 56) ad ingenuos, quae ad libertinos respiciunt. 57) ut et ius omne, quod de gradibus et adfinitatibus descendit, legitimaeque 58) hereditates, et omnis ab intestato successio, et Tertullia-

51. *quae fauor*) Codex Mog. *quæ fauorum cælestis*: satis corrupte. Vterque Codex dein: *pacis uigor*. Basileensis pergit: *firmabit*.

52. *et omnes*) Taurellus hic inserit *super*, additis stellulis: *et * super * omnes*; tanquam si recentior manus id adiecisset: cum tamen eius nullum uestigium sit in codice Florentino. Gronou. *p.* 61.

53. *Vellicis periculis*) Taurellus edidit: *bellicis * victoi * periculis*; alienam scripturam adoptans, licet nullo sensu idoneo. Gronou. *p.* 61.

54. *superposuit*) Taurellus ad marginem: † *posuit*; transpositionem uocabuli *super*, quam fecerat, lectori persuasurus, ut Gronouius *ibid.* cum indignatione multa censet. Vterque Codex noster: *et super omnes gentes in bellicis victoriis posuit*. Vnde manifestum fit, illud *victori* esse a manu correctoris cuiusdam, emendationem superscribentis hoc modo: *victori* / *periculis*, i.e. *victoriis*: quod non animaduertens Taurellus τὸ *victori* utique male inseruit contextui.

55. *Sexta deinde*) Codex Mogunt. *Sexta uero*.

56. *quae ad ingenuos*) Codex Basil. *quæ tam ad ingenuos, quam ad libertinos*.

57. *ut et*) Vterque Codex: *et ius omne*. Basileensis postea: *de gradibus affinitatibus*.

tullianum, et Orphitianum senatusconsultum, ex quibus mater et filii inuicem sibi heredes existunt, in geminos libros contulimus, bonorum 59) possessionus multitudinem in compendiosum et manifestissimum ordinem concludentes. Post haec ea quae de operis noui nuntiationibus, damnique infecti et pro aedificiis dirutis, et eorum insidiis, et quae de aqua 60) pluuia arGenda ueteribus auctoribus placita sunt: nec non de publicanis, et donationibus tam inter uiuos quam mortis causa conficiendis cauta legibus inuenimus, in librum singularem deduximus. De manumissionibus autem et de liberali causa, alius liber respondit: 61) quemadmodum et de adquisitione tam dominii quam possessionis, et titulis qui eam inducunt, multae et uariae actiones uni sunt insertae uolumini. alio libro deputato his qui iudicati uel in iure confessi sunt, et de bonorum detentionibus 62) * et uenditionibus *, et ut ne quid in fraudem creditorum fiat. Postque haec omnia interdicta glo-

58. *hereditates*) Vterque Codex: *hereditatis.*

59. *possess. multitud.*) Sic manuscriptus Florentinus. Sed Taurellus edidit: *possessionuMultitudinem.* Vid. Gronou. *p.* 28.

60. *pluuia*) Vterque Codex: *pluuiali.*

61. *quemadmodum et*) Codex Mogunt. *quemadmodum de adquisitione.*

62. **et uenditionib.*) Cod. Basil. *et de uenditionibus.*

glomerata sunt: et deinceps exceptiones, 63) et de temporum prolixitatibus: et de obligationibus et actionibus liber 64) iterum singularis extenditur: ut praefata sexta pars totius digestorum uoluminis octo libris definiatur.

§. V. (*Vulg.* VIII.) Septimus autem et nouissimus articulus digestorum sex libris formatus est, 65) quos de stipulationibus * seu uerborum obligationibus *, et fideiussoribus et mandatoribus, nec non noBationibus, et solutionibus, et acceptilationibus, et de praetoriis stipulationibus, 66) omne quod ius inuenitur gemino uolumine inscriptum est, quod in libris antiquis nec 67) numerari possibile fuit. Et 68) post hoc duo terribiles libri positi sunt 69) pro delictis-

63. *et de*) Cod. Mogunt. *exceptiones de temporum.*

64. *iterum*) Codex Basil. *item.*

65. *quos de*) Cod. Basil. *quo de*: omittit idem postea haec: *seu uerborum obligationibus:* pergit uero: *et de fideiussoribus.*

66. *omne quod ius*) Codex Mogunt. *omne in quod ius.* Basil. *omne quidem ius inuenitur in gemino uolumine inscriptum esse.*

67. *numerari*) Codex Mogunt. *numerare.*

68. *post hoc*) idem Codex: *post haec.*

69. *pro delictisunt pro delict.*) Sic in manuscripto Florentino. Taurellus exhibuit: *Et post hoc duo terribiles libri positi sunt pro delictis priuatis.* Haloander ediderat: *Et post haec duo terribiles libri sunt de delictis priuatis.* Vterque Codex habet: *duo terribiles libri positi sunt pro delictis priuatis.* Basileensis uero sequentem omittit copulam: *priuatis extraordinariis.* Elegans quidem

lictisunt pro delictis priuatis et extraordinariis nec non publicis criminibus, qui omnem continent seueritatem poenarumque atrocitatem. 70) Quibus permixta sunt ea quae de audacibus hominibus cauta sunt, 71) qui se celare conantur, et contumaces exisunt: et de poenis quae condemnatis infliguntur, uel conceduntur, nec non de eorum substantiis. Liber autem singularis pro appellationibus nobis excogitatus est contra sententias tam ciuiles quam criminales causas finientes. Cetera autem omnia quae 72) ad municipales, uel de decurionibus, et muneribus, uel publicis operibus, uel nundinis, et pollicitationibus, et diuersis cognitionibus, * et censibus *, uel 73) significatione uerborum 74) ueteribus inuenta sunt, quaeque regulariter definita, in 75) sese recepit

I quin-

dem emendatio Gronouii: *pro delictis, aut pro delictis priuatis* etc. p. 64. sed uidetur tamen Florentina scriptura utique a repetitione calami esse, ideoque sequenda editio Taurelliana.

70. *Quibus permixta*) Cod. Basil. *quibus permixti sunt: et ea quae.*

71. *sunt, qui se*) Cod. Mogunt. *et qui se.*

72. *ad municipales*) Cod. Mogunt. *quae pro municipalibus, uel decurionibus.* Basileensis hic lacuna turpi laborat, exhibens: *quae de municipalibus uel publicis operibus.*

73. *significatione*) Cod. Mogunt. *significationibus.*

74. *ueteribus*) Vterque Codex: *a ueteribus.*

75. *in sese recepit*) Vterque Codex; *in se recipit.*

quinquageſimus, totius conſummationis perfectus.

§. VI. (*Vulg.* IX.) Quae omnia confecta ſunt per uirum excelſum nec non 76) prudentiſſimum magiſtrum, exquaeſtore et exconſule Tribonianum, qui ſimiliter eloquentiae, et legitimae ſcientiae artibus 77) decoratus, et in ipſis rerum experimentis emicuit, nihilque maius nec carius noſtris unquam iuſſionibus 78) duxit. nec non per alios uiros magnificos et 79) ſtudioſiſſimos perfecta ſunt, id eſt Conſtantinum uirum illuſtrem comitem ſacrarum largitionum et magiſtrum 80) ſcrinii libellorum ſacrarumque cognitionum, 81) qui ſemper nobis ex bona opinione et gloria ſeſe commendaBit: nec non Theophilum uirum illuſtrem, 82) magiſtrum iuriſque peritum in hac ſplendidiſſima ciuitate laudabiliter optimam legum gubernationem extendentem:

76. *prudentiſſ. magiſtr. exquaeſt. et exconſ*) Cod Mogunt. *magiſtrum prudentiſſimum et quæſtorem et conſulem.* Baſil. *magiſtrum exquæſtorem et conſulem.*

77. *decoratus, et*) Deeſt copulatiua in Cod. Mogunt.

78. *duxit*) *duxerit:* idem Codex.

79. *ſtudioſiſſimos*) *cuſtodioſiſſimos:* ibidem.

80. *ſcrinii libell.*) Vterque Codex: *ſcrinii librorum.*

81. *qui ſemper*) Cod. Mogunt. *qui ſuper.*

82. *magiſtrum iuriſque peritum*) Cod. Baſil. *magiſtrum iuriſperitum.*

tem: & Dorotheum * uirum * 83) illustrem et facundissimum quaestorium, quem in Verutiensium splendidissima ciuitate leges discipulis tradentem propter eius Vptimam opinionem et gloriam ad nos deduximus, participemque 84) huius operis fecimus. 85) sed et Anatolium uirum illustrem magistrum, qui et ipse apud 86) Verutienses iuris interpres 87) constitutus ad hoc opus 88) allectus est, uir ab antiqua stirpe legitima procedens, cum et pater eius Leontius, et auus Eudoxius * qui post Patricium inclytae recordationis 89) quaestorium et antecessorem, et Leontium uirum glorioſissimum 90) praefectorem, consularem, atque Patricium filium eius, * optimam sui memoriam in legibus reliquerunt. 91) nec non

83. *illustrem et facundiss. quaestor.*) Cod. Mogunt. *illustrem facundissimum quæstorem, quem in berytensium.* Basileensis: *quæstorem quidem in berythensium.*

84. *huius operis*) Cod. Basil. *eius operis.*

85. *Sed et Anatol.*) Vterque Codex: *Sed Anatolium.*

86. *Verutienses*) Mogunt. *berytenses.* Basil. *beritenses.*

87. *constitutus ad*) Cod. Basil. *constitutus et ad hoc opus.*

88. *allectus est*) Cod. Mogunt. *adiectus est.*

89. *quaestorium*) Vterque Codex: *quaestorem.*

90. *praefectorem*) Vterque Codex: *praefectorium.* Et sic scribendum censet Taurellus in *Adnotatis*, quum propinqua dictio *consularem* occasionem forte praebuerit errato.

91. *nec non Cratinum*) Cod. Mogunt. *nec non et Cratinum.* Basil. *nec non Creatinum.*

Cratinum uirum illustrem, et comitem sacrarum largitionum, et optimum antecessorem huius almae urbis constitutum, qui omnes ad praedictum opus electi sunt una cum Stephano, Mena, Prosdocio, Eutolmio, *Timotheo*, Leonide, Leontio, Platone, Iacobo, Constantino, Iohanne, uiris prudentissimis, qui patroni quidem sunt causarum apud maximam sedem praefecturae quae orientalibus praetoriis praesidet. 92) Omne autem suae uirtutis testimonium undique accipientes, et a nobis ad tanti operis consummationem electi sunt, et cum omnes in unum 93) conuenerunt gubernatione Triboniani uiri excelsi, ut tantum opus nobis auctoribus possint conficere, Deo propitio 94) in praedictos quinquaginta libros opus consummatum est.

§. VII. (*Vulg.* X.) 95) Tanta autem *a* nobis antiquitati habita est reuerentia, ut nomina

92. *Omne autem*) Vterque Codex: *Omnes autem.*

93. *conuenerant*) Cod. Basil. *conueniunt:* et porro: *gubernante Triboniuno uiro excelso.*

94. *in praed. quinquag. libr.*) Cod. Mogunt *in L. libros.* Basil. *in quinquaginta libros.*

95. *Tanta autem *a* nobis*) Sic Taurellus edidit: quod reprehendit Gronouius *p.* 49. praepositionem expungens. Cum tamen eadem in *l.* 2. *C. de V. I. E.* extet, neque duo datiui *nobis antiquitati* commode iungantur, retinenda uidetur correctio in Florentino manuscripto facta, consentiente utroque codice nostro uetusto.

mina prudentium taciturnitati tradere nullo patiamur modo: sed unusquisque eorum qui auctor legis fuit, nostris digestis inscriptus est: hoc tantummodo a nobis effecto, ut si quid in legibus eorum 96) uel superuacuum uel iNperfectum 97) uel minus idoneum uisum est: uel adiectionem, uel deminutionem necessariam accipiat, et rectissimis tradatur regulis, et in multis similibus uel contrarIs quod rectius habere apparebat, hoc pro aliis omnibus positum est. unaque omnibus auctoritate indulta, ut quidquid ibi scriptum est, hoc nostrum appareat, et ex nostra uoluntate compositum: nemine audente comparare ea quae antiquitas habebat, et 98) quae nostra auctoritas introduxit. quia multa et maxima sunt, quae propter utilitatem rerum transformata sunt 99) adeo ut etsi principalis constitutio fuerat in ueteribus libris relata, 100) neque ei pepercimus, 101) sed et hoc corrigendum esse putauimus, et in melius re-

96. *uel superuacuum*) Cod. Mogunt. *esset superuacuum*.

97. *uel minus*) idem Codex: *aut minus*.

98. *et quae nostra*) Cod. Basil. *is quae nostra*.

99. *adeo ut etsi*) Idem Codex: *adeo ut si*.

100. *neque ei pepercim.*) idem: *neque eis pepercimus*.

101. *sed et hoc corrigendum*) Cod. Mogunt. *sed hanc corrigendam*. Basil. *sed et hanc corrigendam*: et in fine; *restaurandam*.

ſtaurandum. nominibus etenim ueteribus relictis 102) quid * quid * legum ueritati decorum et neceſſarium 103) fuerat, hoc noſtris emendationibus ſeruauimus. et propter hanc cauſam et ſi quid inter eos dubitabatur, hoc iam in tutiſſimam peruenit quietem, nullo titubante relicto.

§. VIII. (*Vulg.* XI.) Sed cum proſpeximus quod ad portandam 104) tantae ſapientiae molem non ſunt idonei homines rudes, et qui in primis legum ueſtibulis 105) ſtantes intrare ad arcana eorum properant: et aliam mediocrem 106) emendationem 107) praeparandam eſſe 108) cenſuimus, ut ſub ea colorati, et quaſi primitiis omnium iNbuti, poſſint ad penetralia eorum intrare et formam legum pulcherrimam non coniuentibus oculis accipere. Et ideo Triboniano uiro excelſo, qui ad totius operis gubernationem electus eſt, nec non Theophilo et Dorotheo uiris illuſtribus et facundiſſi-

102. *quid * quid **) Haec ſigna appoſui, ut ſignificetur, alterum *quid* eſſe ab antiquo ſcriba omiſſum, quod Gronouius obſeruat, p. 38. Taurellus uero nihil huius indicauit, plane exhibens: *quidquid.*

103. *fuerat*) Vterque Codex; *fuit.*

104. *tantae*) Cod. Baſil. *tantam.*

105. *ſtantes*) idem Codex: *ſtant et intrare.*

106. *emendationem*) Vterque Codex: *eruditionem.*

107. *praeparandam*) Cod. Baſil. *properandam.*

108. *cenſuimus*) idem Codex; *cenſemus.*

dissimis anteceſſoribus 109) accerſitis, mandauimus quatenus libris, quos ueteres compoſuerunt, qui prima legum argumenta continebant, et inſtitutiones uocabantur, ſeparatim collectis, quidquid ex his utile et aptiſſimum et 110) undeque ſit elimatum, et rebus quae in praeſenti aeuo in uſu uertuntur, conſentaneum inuenitur, 111) hoc et capere ſtudeant, et quattuor libris reponere, et totius eruditionis prima fundamenta atque elementa ponere: quibus iuBenes ſuffulti poſſint grauiora et perfectiora legum ſcita ſuſtentare. Admonuimus autem eos, ut memores etiam noſtrarum fiant conſtitutionum, quas pro emendatione iuris promulgauimus. et in confectione inſtitutionum 112) etiam eadem emendatione ponere non morentur: ut ſit manifeſtum, et quid antea Bacillabat, et quid poſtea in ſtabilitatem redactum eſt. Quod opus ab his perfectum, ut nobis oblatum et 113) relectum eſt, et prono ſuſcepimus animo, et noſtris ſenſibus non indignum eſſe iudica-

109. *accerſitis*) Cod. Mogunt. *arceſſitis.*

110. *undeque*) pro: *undique.* Vid. Gronou. *p.* 25.

111. *hoc et capere etc.*) Cod. Baſil. *hoc capere ſtudeant et in quatuor libros reponere.* Cod. Mogunt. *libris imponere.*

112. *etiam ead. emendat.*) Vterque Codex: *et eandem emendationem.*

113. *relectum eſt*) Cod. Baſil. *relictum eſt, prono* etc.

Bimus, et praedictos libros constitutionum uicem habere iussimus: 114) quod et in oratione nostra, quam eisdem libris proposuimus, apertius declaratur.

§. IX. (*Vulg.* XII.) Omni igitur Romani iuris dispositione composita, 115) et in tribus uoluminibus, 116) id est institutionum, et digestorum seu pandectarum, nec non constitutionum, perfecta, 117) et in tribus annis consummata, quae ut primum 118) separari 119) coepit, neque in totum decennium compleri sperabatur: omnipotenti Deo et hanc operam ad hominum sustentationem piis optulimus animis, uberesque gratias maximae 120) Deitati reddidimus, quae nobis 121) praestitet et bella felliciter agere, et honesta pace 122) perpotiri, et non tan-

114. *quod et in oratione nostra*) Cod. Mogunt. *quod in ratione nostra*. Basil. *quod in oratione, quam eis praeposuimus.*

115. *et in tribus*) Cod. Mogunt. *et tribus.*

116. *id est*) Omittitur in Codice Basileensi. Idem postea: *digestorum pandectarum.*

117. *et in trib. ann.*) Vterque Codex: *et tribus annis.*

118. *separari*) Cod. Mogunt. *sperari*: quam lectionem Iul. Pacius Florentinae praefert: sed frustra. *Separare* est *seligere*, ut apud Vlpianum, *vascula seligere*, in *l.* 19. §. 2. *D. de aur. arg. leg.*

119. *coepit*) Cod. Basil. *ceperit.*

120. *Deitati*) Idem Codex: *diuinitati.*

121. *praestitet*) pro: *praestitit.* Gronou. *p.* 25.

122. *perpotiri*) Vterque Codex: *potiri.*

tantum noſtro, ſed etiam omni aeuo tam inſtanti quam poſteriori leges optimas ponere. (*Vulg.* §. XIII.) Omnibus itaque hominibus eandem ſanctionem manifeſtam facere, 123) neceſſarium * eſſe * perſpeximus: ut ſit eis cognitum, quanta confuſione et infinitate abſoluti, 124) in quam moderationem et legitimam ueritatem 125) peruenerunt: legeſque in poſterum habeant tam directas quam coNpendioſas, omnibuſque in promptu poſitas et ad poſſidendi libros earum facilitatem 126) idoneas: ut non mole diuitiarum expenſa poſſint homines 127) ſuperuaQüae legum multitudinis adipiſci uolumina, ſed uiliſſima pecunia facilis eorum comparatio pateat tam ditioribus quam tenuioribus, minimo pretio magna prudentia reparanda.

§. X. (*Vulg.* XIV) Si quid autem in tanta legum compoſitione quae ab immenſo librorum numero collecta eſt, ſimile forſitan raro inueniatur, 128) nemo hoc uituperan-

123. *neceſſarium * eſſe * perſpexim.*) Cod. Baſil. *neceſſarium eis perſpeximus.*

124. *in quam*) Vterque Codex: *in quantam.*

125. *peruenerunt*) Cod. Baſil. *peruenerint*: et ſtatim: *legiſque.*

126. *idoneas*) Idem Codex: *idoneam.*

127. *ſuperuaQüae*) Ibidem: *ſuperuacua.*

128. *nemo hoc uituper.*) Cod. Baſil. *nemo uituperandum.*

dum existimet: sed primum quidem iNbecillitati humanae, quae naturaliter inest, hoc inscribat: quia omnium habere memoriam, et penitus iNullo peccare, Diuinitatis magis quam mortalitatis est: 129) quod et a maioribus dictum est. 130) deinde sciat quod similitudo in quibusdam et his breuissimis adsumpta non inutilis est: et nec citra nostrum propositum hoc subsecutum. aut enim ita lex necessaria erat, ut diuersis titulis propter rerum 131) cognationem applicari eam oporteat: aut cum fuerat aliis diuersis permixta, impossibile erat 132) *eam* per partes detrahi, ne totum confundatur, et in his partibus in quibus perfectissimae 133) uisiones expositae ueterum fue-

129. *quod et a maiorib.*) Idem Codex: *quod et maioribus.*

130. *deinde sciat*) Mogunt. *demum sciat.* Basil. *deinde sciant.*

131. *cognationem*) Vterque Codex: *cognitionem.*

132. **eam**) Delendam esse hanc uocem, a lasciua manu recens superpositam, censet Gronouius *pag.* 10. Quoniam uero et sic proba est loquendi ratio et menti ustiniani omnino conuenit, si particulam istam retineamus, quae etiam in *l.* 2. *C. de V. I. E.* fide utriusque Codicis antiqui, extat: Taurelliana editio hic exprimenda uidebatur.

133. *uisiones*) Vterque Codex: *iussiones.* Male. In epistola Graeca est: τῆς ὅλης θεωρίας συνεχὲς, *totius uisionis continentia.* Vid. Ant. Augustin. *lib. II. Emendat. c.* 2.

fuerunt, quod 134) particulatim in eas fuerat sparsum, hoc diuidere ac separare penitus erat inciuile: ne tam sensus quam aures legentium ex hoc perturbentur. Similique modo si quid principalibus constitutionibus cautum est, hoc in digestorum uolumine poni nullo concessimus modo: quasi constitutionum recitatione sufficiente: 135) nisi et hoc raro ex hisdem causis quibus similitudo adsumpta est.

§. XI. (*Vulg.* §. XV.) Contrarium autem 136) aliquid in hoc codice positum nullum sibi locum uEndicaBit, nec inuenitur, si quis suptili animo diuersitatis rationes excutiet. Sed est aliquid nouum inuentum, uel occulte positum, quod dissonantiae querellam dissoluit, et aliam naturam inducit discordiae fines effugientem.

§. XII. (*Vulg.* XVI.) Sed 137) et si quid forsitan praetermissum est, quod in tantis milibus quasi in profundo positum latitabat, et cum idoneum fuerat poni, obscuritate inuolutum necessario derelictum est: quis hoc 138) adprehendere recto animo possit?

134. *particulatim*) Cod. Basil. *particulariter*.
135. *nisi et hoc*) Cod. Mogunt. *nisi hoc raro*.
136. *aliquid*) Cod. Basil. *aliquod*.
137. *et si quid*) idem Codex: *et si aliquid*.
138. *adprehendere*) Vterque Codex: *reprehendere*.

possit ? primo quidem propter ingenii mortalis exiguitatem 139) deinde propter ipsius rei uitium, quod multis 140) inutilibus permixtum 141) nullam sui ad eruendum praebuit 142) propriam: 143) dein quod multo utilius est pauca idonea 144) effugere, quam multis inutilibus homines 145) praegraBare.

§. XIII. (*Vulg.* XVII.) Mirabile autem aliquid ex his libris emersit, quod multitudo antiqua praesente breuitate paucior inBenitur. homines etenim qui antea lites agebant, licet multae leges fuerant positae, tamen ex paucis lites perferebant, uel propter inopiam librorum, quos coNparare eis iNpossibile erat, uel propter ipsam 146) inscientiam. et uoluntate iudicum magis quam legitima auctoritate lites dirimebantur.

139. *deinde propter*) Cod. Mogunt. *demum propter.*

140. *inutilibus*) Cod. Basil. *inutilitatibus.*

141. *null. sui ad eruend.*) Vterque Codex: *nullam sibi ad erudiendum.*

142. *propriam*) Sic Florentinus manuscriptus, a quo minus abiturus, *propeuiam* legit Gronouius *p.* 41. Taurellus edidit: *copiam;* sequutus *legem* 2. *C. de V. I. E.* et sic ibi uterque Codex uetustus.

143. *dein*) Taurellus in margine: † *deinde:* et sic Codex Basil.

144. *effugere*) Cod. Mogunt. *effundere.*

145. *praegraBare*) Vterque Codex: *prægrauari.*

146. *inscientiam*) Cod. Basil. *inscitiam et uoluntatem iudicum.* Sed et Moguntinus haec uno spiritu legit: *inscientiam et uoluntatem.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1844784568/phys_0192
DFG

tur. In praesenti autem consummatione nostrorum digestorum e tantis leges collectae sunt uoluminibus, 147) quorum et nomina antiquiores homines non dicimus nesciebant, sed nec umquam audiebant. quae omnia collecta sunt substantia amplissima congregata: ut egena quidem antiqua multitudo inueniatur, opulentissima autem breuitas nostra efficiatur. Antiquae autem sapientiae librorum copiam maxime Tribonianus uir excellentissimus praebuit, in quibus multi fuerant et ipsis 148) eruditissimis hominibus incogniti, quibus omnibus perlectis, quidquid ex his pulcherrimum erat, hoc semotum in optimam nostram compositionem peruenit. Sed huius operis conditores non solum ea uolumina perlegerunt, ex quibus leges positae sunt: sed etiam alia multa, 149) quae, nihil uel utile uel nouum eis inuenientes, quod exceptum nostris digestis applicarent, optimo animo 150) respuerunt.

§. XIV.

147. *quorum et nomina*) Cod. Basil. *quorum nomina et.*

148. *eruditiss. hominibus*) Cod. Mogunt. *eruditissimis hominum.*

149. *quae nih. uel ut, uel nou. eis.*) Cod. Mogunt. *qui nihil uel nouum in eis.* Basil. *qui nihil uel utile uel nouum in eis.*

150. *respuerunt*) Cod. Basil. *respuerent.*

§. XIV. (*Vulg.* XVIII.) Sed quia diuinae quidem res perfectissimae sunt, humani uero iuris condicio semper 151) infinitum 152) decurret, et nihil est 153) in ea quod stare perpetuo possit, multas etenim formas edere natura nouas deproperat, non desperamus quaedam postea emergi negotia, quae adhuc legum laqueis non sunt 154) innouata. Si quid igitur tale contigerit, Augustum imploretur remedium: quia ideo Imperialem fortunam rebus humanis Deus praeposuit, ut possit omnia quae nouiter contingunt, et emendare, et componere, et modis et regulis competentibus tradere. et hoc non primum a nobis dictum est, sed ab antiqua descendit prosapia: cum et ipse Iulianus legum et edicti perpetui suptilissimus 155) conditor, in suis libris hoc rettulit: ut si quid imperfectum inueniatur, ab Imperiali sanctione hoc repleatur. 156) et non

151. *infinitum*) Codex uterque: *in infinitum.*

152. *decurret*) pro: *decurrit.* Gronou. *p.* 25.

153. *in ea*) Cod. Basil. *in eo.*

154. *innouata*) Vterque Codex: *innodata.* Et hanc lectionem merito praefert Taurellus in *Adnotatis.* Nisi forte in ipsa Florentina membrana scriptum est: INNOVaTa, i. e. *innodata:* ut epist. I. §. 1. ΠΕΡΕΤaS, siue ΘΕΡΕΤaS, indice Gronouio, *p.* 11.

155. *conditor, in suis*) Codex uterque: *conditor suis libris.*

156. *et non ipse*) Cod. Basil. *et hoc non ipse.*

non ipse solus, sed et Diuus Hadrianus in compositione edicti, et 157) senatusconsulto quod eam secutum est, 158) hoc apertissime definiuit, ut si quid in edicto positum non 159) inuenitur, hoc ad eius regulas eiusque coniecturas et imitationes possit noua 160) instruere auctoritas.

§. XV. (*Vulg.* XIX.) Haec igitur omnia scientes patres conscripti, et omnes orbis terrarum homines, gratias quidem amplissimas agite summae Diuinitati, quae 161) uestris temporibus tam saluberrimum opus seruauit. quo enim antiquitas digna diuino non est uisa iudicio, 162) hoc uestris temporibus indultum est. 163) Hasce itaque leges et adorate et 164) obseruate omnibus antiquioribus quiescentibus, nemoque uestrum audeat uel comparare eas prioribus, uel si quid dissonans in utroque est, requirere.

157. *senatusconsulto*) Idem Codex: *senatusconsulti.*

158. *hoc apertiss.*) Ibidem: *hic apertissime.*

159. *inuenitur*) Vterque Codex: *inueniatur.*

160. *instruere auctorit.*) Cod. Basil. *constituere auctoritas.*

161. *uestris temporibus*) Vterque Codex: *nostris temporibus.*

162. *hoc uestris temporib.*) Rursus uterque Codex: *hoc nostris temporibus.*

163. *Hasce itaque*) Vterque Codex: *Has itaque.*

164. *obseruate*) Codex Mogunt *seruate.*

rere. 165) * quia * omne quod hic positum est, hoc unicum et solum obseruari censemus. Nec in iudicio, nec in alio certamine, ubi leges necessariae sunt, ex aliis libris, nisi ab iisdem institutionibus, nostrisque digestis, et constitutionibus a nobis compositis uel promulgatis, aliquid uel recitare uel ostendere conetur: nisi temerator uelit falsitatis 166) criminE subiectus, una cum iudice qui 167) eorum audientiam 168) patiatur, poenis grauissimis laborare.

§. XVI: (*Vulg.* XX.) Ne autem incognitum uobis fiat, ex quibus ueterum libris haec consummatio ordinata est, iussimus et hoc in primordiis digestorum nostrorum inscribi: ut manifestissimum sit, ex quibus legislatoribus, quibusque libris eorum et quoD milibus hoc iustitiae Romanae templum aedificatum est. Legislatores autem uel commentatores eos 169) elegimus, qui digni

165. **quia**) Hanc particulam prorsus tollit Gronouius, *p.* 43. Mihi uero adiectis asteriscis, quos male omisit hic Taurellus, retinenda uidebatur, propter lectionem *l.* 2. *C. de V. I. E.* in qua conspirat uterque Codex noster.

166. *criminE subiectus*) Codex Mogunt. *crimini subiectus.* Basil. *crimini subiectis.*

167. *eorum*) Taurellus in margine: † *eis.*

168. *patiatur*) Taurellus in margine: † *accommodauit.* Vterque Codex noster: *qui ei audientiam accommodauit.*

169. *elegimus*) Cod. Basil. *eligimus.*

digni tanto 170) opERant 171) et quos et anteriores piiſſimi principes admittere non ſunt indignati: omnibus uno dignitatis apice iNpertito, nec ſibi 172) cuidam aliquam praerogatiuam uindicante. cum enim conſtitutionum 173) uicem et has leges optinere cenſuimus, quaſi ex nobis promulgatas: 174) quid amplius, aut minus in quibuſdam eſſe intelligatur, cum una dignitas, una poteſtas omnibus eſt indulta?

§. XVII. (*Vulg.* XXI.) Hoc autem 175) quod et ab initio nobis uiſum eſt, cum hoc opus fieri Deo adnuente 176) mandabamus, tempeſtiBum 177) nobis uidetur et in praeſenti ſancire: ut nemo neque eorum qui in praeſenti iuris peritiam habent, neque 178) poſtea fierent, audeat commen-

170. *opERant*) Taurellus in margine: † *opere fuerant:* et ſic uterque Codex noſter.

171. *et quos et anter.*) Cod. Baſil. *et quos anteriores.*

172. *cuidam*) Deeſt in Codice Mogunt.

173. *uicem*) Cod. Baſil. *uices.*

174. *quid amplius*) Idem Codex: *quod amplius.*

175. *quod et ab init.*) Vterque Codex: *quod ab initio.*

176. *mandabamus*) Codex Mogunt. *mandauimus.*

177. *nobis uidetur*) Cod. Baſil. *nobis eſſe uidetur.*

178. *neque poſtea*) Taurellus interſerit *qui*, ſenſus perficiendi cauſa: *neque (qui) poſtea fuerint.* Sed et uterque Codex noſter: *nec qui poſtea fuerint, audeant.*

tarios hisdem legibus adnectere: 179) nisi tantum si uelit eas in graecam uocem transformare sub eodem ordine, eaque consequentia, sub qua et 180) uoce Romanae positae sunt: hoc 181) quod Graeci κατα πoδα dicunt. et si qui forsitan per titulorum subtilitatem adnotare maluerint, et ea 182) quae paratitla nuncupantur, componere. alias autem legum interpretationes, immo magis peruersiones, 183) eos iactare non concedimus: 184) ne Berbositas eorum aliquid legibus nostris 185) adferat ex confusione dedecus. 186) quod et in antiquis edicti

179. *nisi tantum si uelit*) Cod. Mogunt. *nisi tamen uelit*. Basil. *nisi tamen si uelint*: et mox: *eadem consequentia*.

180. *uoce Romanae*) Gothofredus in edit. Geneu. a. 1691. exhibuit: *sub qua et uoce Romana*: quod Gronouius probat et explicat p. 66. Et confirmat hanc lectionem Codex Moguntinus: *sub qua uoce Romana*. Codex Basil. habet: *sub qua uoces Romanae*; quod Haloander edidit. Vid. Gronou. *l. c.*

181. *quod Gr. κ. π. dic.*) Codex Moguntinus: *quod Greci grece dicunt*; bene pro more saeculi sui. Sed Codex Basil. *quod Greci katanoda dicunt*: pergit nunc: *et si quid forsitan*.

182. *quae paratitla nuncup.*) Codex Moguntinus: *quae naptirax nuncupantur*: satis ridicule barbarus. Basileensis: *quae paratitbica nuncupantur*.

183. *eos iactare*) Cod. Basil. *peruersiones eas tractare*.

184. *ne Berbositas*) Codex Mogunt. *nec uerbositas*: et mox: *aliquod*.

185. *nostris adferat*) Idem Codex: *nostris aliquod adferat*.

186. *quod et in antiquis*) Idem: *quod in antiquis*.

dicti perpetui commentatoribus factum est, qui opus moderate confectum 187) huc atque illuc in diuersas sententias producentes, 188) *contrahentes,) in infinitum detraxerunt, ut paene omnem Romanam sanctionem 189) esse confusam. 190) Quos si passi non sumus, quemadmodum posteritatis admittatur uana discordia? Si quid autem tale facere ausi fuerint, ipsi quidem falsitatis rei constituantur, uoluminа autem eorum 191) omnimodo corrumpentur. Si quid uero, ut supra dictum est, ambiguum fuerit uisum: hoc ad Imperiale culmen per iudices referatur,

187. *huc atque illuc*) Cod. Mogunt. *huc atque illud.*

188. *contrahentes*) Taurellus merito huic uerbo suspecti notam apposuit: **contrahentes,*) et abest illud ab utroque Codice uetusto.

189. *esse confusam*) Graeca dicendi figura, ut illud in *l. un. D. de off. Quaest. Hodieque obtinuit, ut indifferenter Quaestores creari.* Vid. Ant. Augustin. *Emendat. lib. I. c.* 1. Eademque figura exprimitur in Epistola Graeca: ὥςε καὶ τοί γε οὕτω βραχύτατον αὐτὸ καθεσὸς, ἐκ τῆς τῶν ποικίλων ὑπομνημάτων διαφορᾶς, εἰς ἀναρίθμητον ἐκταθῆναι πλῆθος. Sane audacissima est editio Bataua, exhibens: *ut paene omnis Romana sanctio esset confusa.* Codex Moguntinus tamen habet: *sanctionem cerneres esse confusam*: quod Holoander sequutus scripsit: *esse confusam cerneres.*

190. *Quos si*) Vterque Codex: *Quod si.*

191. *omnimodo corrumpentur*) Codex Basil. *omnino corrumpatur.* Cod. Mogunt. *omnimodo corrumpantur.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1844784568/phys_0199
DFG

et ex auctoritate Augusta manifestetur, 192) cui soli concessum est leges et condere et interpretari. (*Vulg.* §. XXII.) 193) Eandem autem poenam falsitatis constituimus et aduersus eos qui in posterum leges nostras 194) per siglorum obscuritates ausi fuerint conscribere. 195) omnia enim, id est et nomina prudentium, et titulos, et librorum numeros, per consequentias litterarum uolumus, non 196) per sigla manifestari: ita ut qui talem librum sibi 197) parauerit, 168) in quo sigla posita sunt in qualemcumque locum libri uel uoluminis, sciat 199) inutilis se esse codicis dominum. neque enim licentiam aperimus ex tali codice in iudicium aliquid 200) recitare, qui in quacumque sua parte 201) siglorum habet malitias.

192. *cui soli*) Cod. Basil. *cui solum.*

193. *Eand. aut. poen.*) Idem Codex: *Eandem poenam.*

194. *per siglorum*) Vterque Codex: *per signorum.* Moguntinus deinde: *ausi fuerant.*

195. *omn. en id est & nom.*) Cod. Basil. *omnia enim nomina.*

196. *per sigla*) Vterque Codex: *per signa.*

197. *parauerit*) Cod. Moguntinus *parauerint.* Basil. *comparauerit.*

198. *in quo sigla*) Vterque Codex: *in quo signa.*

199. *inutilis*) Cod. Basil. *inutilem.*

200. *recitare*) Vterque Codex: *recitari.*

201. *siglor. hab. malit.*) Vterque Codex: *signorum habet malitiam.*

litias. Ipse autem librarius 202) qui eas inscribere ausus fuerit, non solum criminali poena, secundum quod dictum est, plectetur: sed etiam libri aestimationem in duplum domino reddat, 203) si et ipse dominus ignorans talem librum uel comparauerit, uel confici curauerit. quod et antea a nobis 204) dispositum est in latina constitutione et in graeca quam ad legum professores 205) dimisimus.

§. XVIII. (*Vulg.* XXIII.) Leges autem nostras, quae in his 206) codicibus, id est institutionum seu elementorum, et digestorum uel pandectarum posuimus, suum optinere robur ex tertio nostro felicissimo sancimus consulatu 207) praesentis duodecimae indictionis, tertio calendas Ianuarias, in omne aeuum 208) ualituras, et una cum nostris constitutionibus pollentes, et suum

202. *qui eas*) Cod. Mogunt. *qui ea.*

203. *si et ipse*) Cod Basil. *et si ipse.*

204. *dispos. est in lat. const. et in gr. qu. ad*) Cod. Mogunt. *dispositum est constitutione, quam ad legum etc.* Basil. *dispositum est institutione, quam ad* etc.

205. *dimisimus*) Cod. Basil. *demisimus.*

206. *codicib. id est institut.*) Idem Codex Basil. *Codicibus uel institutionum.*

